This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

DIALEM
MEDIC
MONTU

615
.1
M82s
R

DIALEXEON MEDICINALIVM


libri duo, nunc recens in lucem prolati,

Autore Domino Sebaſtiano Montuo V. Philoſop. ac medicinæ Doctore.

ADIECTVS *eſt de his quæ ad rationalis medici diſciplinam, munus, laudes, conſilia & præmia pertinent, Libellus longe utiliſſimus.*

καθεύδων οὐδεὶς, οὐδὲν ἄξιος.

Plus uigila. eſt ſomno melior uigilantia, nanq;



Hæc recti nutrix, hic fouet omne ſcelus.

Αἱ γέρανοι λίθους καταπεπωκυῖαι.

LVGDVNI,
SVB SCVTO BASILIENSI,
APVD MICHAELEM PARMANTERIVM,
M. D. XXXVII.

BIBLIOTECA COLEGIO DE S. CARLOS

IO. VVLTEIVS IN LEONARDVM FVCHSIVM, QVI LIbrum ſcripſit, quem Errata medicorum recentium appellat.

Dum prolem Phœbi mordes, temniſq́; recentem,
Hoc facto æternum nomen habere putas?
Longè alios, Fuchſi, uirtus docet optima mores,
Longè aliam ad laudes monſtrat Apollo uiam.
Errans erranti nunquam bene conſulit, æger
Affecto haud poterit pharmaca tuta dare.
Et tu qui ſuccos, herbas, medicamina, morbos
Ignoras, Artis quiq́; elementa tuæ,
Audes cenſorem te dicere, ſcribere in illos
Audes, qui, quod ſcis, te docuere prius?
Turpe eſt te næuos medicorum carpere, turpe eſt,
Quum te ſit medica nullus in arte minor.
Non aliter cæcus luſcum deridet, ineptus
Doctum, uel ſanum qui furioſus homo eſt.
Album non aliter Maurus. Iam deſine cenſor,
Vel niger ex fuſco tu mihi totus eris.
Montuus ecce tuas uires contundit, habere
Quæ te defendant tela nec ulla potes.

Reuerendiſsimo Do.

CARDINALI FRANCISCO A' TVRNONE, REGIS CHRISTIANISSIMI VICES GERENTI,

Literarum uirtutisq́; ſpecimini clariſsimo,

SEBASTIANVS MONTVVS MEDICINAE DOCTOR S. D.

VERITATEM IN AL*tiſsimo puteo demerſam, Reuerendiſsime Præſul, latere pronuntiauit* Democritus.*hanc uerò foras euocare & eruere, non inepta contentioſorũ hominum (qui cùm in re ſui ingenij aliqua improbantur moleſtè omnino ferunt) altercatio, ſed docta tantummodo poteſt* Dialexis. *ea autem eſt argumentorum ad aliquid probandum uel improbandum comparatio: qua remotis uel falſis uel ambiguis uel incertis, ad ea uenitur quæ dubio procul ſunt uera. Quocirca in primis commoda utilisq́; hominibus diſputatio exiſtit. hanc itaque à ſubiectæ materiæ præſtantia nobilitatem obtinere conſentaneum eſt.* Vnde Galenus *honeſtiſsimam litem eſſe illam cenſuit, qua inſignes illæ priſcorum medicorum familiæ*

rum familiæ (quarum una fuit eorum qui Coon inſulam incolebant, alia Rhodiorum, tertia eorum qui in Cnido habitabant) inter ſe perpetuò certabant, non utique de aranda ſerendáue terra (quippe quæ ut Aſclepiadarum genere inferiora, ſic Aſcræo poetæ erant non indecora) ſed de Apollinis Aeſculapijq; arte, tum exercenda, tum uerò ſemper augenda, ac pro uiribus perficienda. Hoc honeſtum certamen digniſsime Pontifex, nunc certamus: partim ut ueritatem ipſam medicis omnibus ob oculos poneremus, quam uerborum lenocinijs & uériſimilibus ſyllogiſmis, ſed falſis, & qui non manifeſta complexione cum eo cohærent, cui probando adhibentur, offuſcare, & cimericis, ut aiunt, tenebris obducere Fuchſius quidam acerrimus recentiorum medicorum conuiciator hactenus non erubuit. partim ut aliquot præceptoribus noſtris, licet mutis, hoc eſt, magni nominis autoribus de re medica bene meritis, iam longo tempore uita functis, quos citra rationem in multis damnari uidemus, patrocinaremur. ſiquidem à prudentibus inſtitutum eſt, non minus honoris præceptori quàm parenti tribuendum. Deinde, ne conniuerem ad contumelioſas cerebroſi hominis aſpergines, uenit in mentem celebris Publij in mimis ſententia: Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam. Item illud, quod Zenonem Eleatrum quando à quibuſdam rogaretur quam ob cauſam quum maledictis ageretur, indignari ſolitus eſſet, reſpondiſſe ferunt, ſi maledicta æquo animo admittam, ne laudes quidem ſentiam. Ob has igitur cauſas præſentes Dialexeis, certe opuſculum leuioris operæ compoſuimus: quas tuæ celſitudini (cui propter beneficia

in nos

in nos collata, quibus reſpondere nobis haudquaquam licet, maxime ſumus deuincti) conſecramus, tum ut meam in te obſeruantiam agnoſcas, tum illæ ut auſpicato procedant, ac tui celebritate nominis, ex qua non parum pretij & candoris illis acceſſurum ſatis conſtat, commendentur. Nimirum autore Plinio multa ualde pretioſa ideo uidentur, quia ſunt templis dicata. Bene uale antiſtes obſeruandiſs. noſtrumq́; munuſculum, qualecunque eſt, æqui ac boni conſule. Ex Riuoria

M. D. XXXVII.

Nonis Aprilis.

ELENCHVS DIALEXEON QVAE PRIMO CONTINENTVR VOLVMINE.

Dialexis prima de Aloe, in Meſuei defenſionem. Folio 4

Dialexis ſecunda de Rhabarbaro. 32

Dialexis tertia de manna. 37

Dialexis quarta de ſimplicium medicamentorum notione. 42

Dialexis quinta, de inerti qua paßim uti Fuchſius ſolet argumentatione. 47

Dialexis ſexta, ſuper Harmel & Cicuta. 55

Dialexis ſeptima, de ui qua humorum purgatoria medicina trahit. 57

Dialexis octaua, ſuper lichene herba, in Ioannis Plateariij defenſionem. 63

Dialexis nona, de Sericis & Myxis. 67

Dialexis decima, de Napello & aconito. 72

Dialexis undecima, de Cantharidibus. 77

Dialexis duodecima, ſuper Arabum Mumia, & Græcorum piſſaſphalto. 79

ELENCHVS DIALEXEON QVAE SECVNDO CONTINENTVR VOLVMINE.

Dialexis prima, de plethora & cachochymia. 81
Dialexis ſecunda, de morbo gallico. 87
Dialexis tertia, ſuper lepræ ſignificatu. 91
Dialexis quarta, quòd numero inſalubrium cauſarum admittenda ſit cauſa coniuncta. 95
Dialexis quinta, de curatione pleuritidis per ſanguinis miſsionem. 102
Dialexis ſexta, de enematum uſu in calculi curatione. 126
Dialexis ſeptima, quòd dyſenteria affectis Rhabarbarum utile ſit. 128
Dialexis octaua, quòd euacuatio materiam diminuens etiam non turgentibus humoribus utilis ſit. 132
Dialexis nona, quòd in tertiana febri purgatio conueniens ſit & magna ex parte neceſſaria. 135

Elenchus libelli, de

HIS QVAE AD RATIONA-
*lis medici diſciplinam, munus, laudes, conſi-
lia & præmia attinet.*

De *tribus medicorum ſectis,* SERMO PRIMVS.
De *diſciplinis quæ dogmaticis neceſſitati ſunt,* SER. II.
De *dogmaticorum officio,* SERMO III.
De *dogmaticorum excellentia,* SERMO IIII.
De *dogmaticorum conſilijs,* SERMO V.
De *dogmaticorum ſtipendijs,* SERMO VI.

DIALEXEON
MEDICINALIVM
LIBER I.

Autore Do. SEBASTIANO MONTVO V. Philoſop. ac Medicinæ doctore.

BIBLIOTECA R. COLEGIO DE Sn CARLOS

LIBELLVM euulgauerat quidam Leonardus Fuchſius Germanus, cui titulum indidit, errata recentiorum medicorum: qua temeraria inſcriptione medicorũ dignitatem adimere, illosq́; dedecorare nixus eſt. In eo item opuſculo Critici partes in medica diſciplina (quam ne à ueſtibulo quidem, ut apparet, ſalutauit) non ſolum agere & ſibi uendicare, ſed magni etiam nominis doctoribus conuiciari audet, & ſic frontem perfricuit, ut ad inſaniam uſque reddatur inſolens. Itaque fucorum more alieno labore partis fruitur, alienisq́; plumis, ueluti Aeſopicus Graculus ſuperbit. nempe quæ illic probè tractata continentur, omnia ex recentiſsimis ſcriptoribus medicis ſuffuratus eſt, ut illi cum Marone de Bathyllo conquerente appoſitiſsimè occinere poſsint,

Sic uos non uobis nidificatis aues.

Proinde uolens imponere plagiario pudorem, eius inſcitiam leui brachio ac ciuiliter in tranſcurſu tractauimus: paucis ſcilicet notatiunculis, quas in ſchedulis deſtinauimus ad Symphorianum Campegium in omnigena ſcientia præcellentem: quoniam hunc cum reliquis medicinæ anteſignanis Mi-

nutulus iſte medicus citra rationem ſugillauerat. Illas uerò de typis in uulgus emanare fecit præter conſilium noſtrum Campegius, cui nimirum ſuccenſerem niſi ille mihi amiciſsimus foret, καλ κυπριδὸς κεσον *habere uideretur. Fuchſius tamen ob hoc ſtomachatus, ſua contumelijs errata locupletare ſtuduit, quæ (titulum incudi reddens) paradoxa uocauit, quo uidelicet titulationis nouitate emptorem circumueniens, uendibiliora faceret. & rectè (ſi quid iudico) illis titulum prætulit interpolator: nulla ſiquidem ratione probari poſſunt, ideoq́; admirabilia ſunt: nam admirationi ſolent eſſe ea, quorum de cauſa non liquet, ut inquit Ariſtoteles in mœchanicis. Sunt etiam contra opinionem eruditiſsimorũ omnium, ut latius in ſequentibus explicabitur. Quam ob rem paradoxa iuxta uel nominis etymũ uel Ciceronis interpretationẽ decenter nuncupantur. Huiuſmodi uerò tituli immutatione ſe doctorculis gratum facere uoluiſſe commemorat Fuchſius, doctorculos haud dubiè uocãs, quibus præſtare matellam dignus non eſt. Simili quoq́; modeſtia ſe Archiatrum inſcripſit, atq́; in Aulicos debacchatur medicos, qui, ut credere par eſt, tantum cæteris præſtant, quantum idiotas ſiue plebeios nobilitate antecellunt principes regesq́;. Porrò dum à nobis alicubi diſſentit, non id agit firmis rationibus, ut erudito dignum eſt, ſed partim frigidiſsimis (quod ſatis conſtat) argumẽtis, partim cõuicijs, quibus innata eius barbaries feritasq́; apertè dignoſcitur. Nos enim qui modeſtè ac amiciter annotatiunculis noſtris cum illo diſputauimus, obgannire, blatterare, mentiri, delirare, paſsim aſſerere non ueretur. Atque adeo ſenectutem apud philóſophos omnes pietatis, prudentiæ, & autoritatis nomine uenerabilem (quam*

Paradoxa Fuchſij ſunt eius errata cõtumelijs locupletata.

Errata Fuchſij paradoxorum nomine rectè inſcripta.

Laus aulicorum medicorum.

dei be

dei beneficio adhuc uegetam octogenarij habemus) uituperat, nobiſq́; paſſim exprobrat, perinde ac ſi ἀγήρων eſſet iſte ἀγλώως, ad illā proculdubio neſciens quòd homines perducere conſeruatrix medicina gloriatur, ut docet Galenus primo de tuenda ſanitate, & tertia primi phen Auicenna. Ad illam item innuens, quòd nullus pertinget, qui ſe medicaſtro, uel potius Aceſia utetur. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſapere ſibi uideatur, Solomon aiebat: cuius præcepto nunc non obſequemur, ne dentata charta à qua ſemper abhorruimus præſens Dialexis finiatur. Sed decorum ſeruantes ratiocinando oſtendemus Quòd

γῆρας λέοντας κρεῖσσον ἀκμαίων νεβρῶν, id eſt,

Leo ſenex uigente potior hinnulo eſt.

Secabimus autem uniuerſam dialexin in duos libellos, in quorum primo aliquot paradoxa, quæ ad medicam materiam pertinent, explodentur: in altero uerò quædam quæ ad morbos, cauſas, medendiq́; rationem ſpectant, confutabimus. Suis itaque locis nobis omnia per Fuchſium Puteanumq́; obiecta inſerentur: quæ ut argutula leuiaq́; ſunt, ſic illa facilimè diluemus. Sed iam committamus, & ad manus, quod dicitur, ueniamus.

Dialexis Prima de

Aloë, aduerſus erratum primum & nonum, ac Paradoxum Fuchſij primum, ſecundum & tertium libri primi.

Manardi opinio à fuchſio ſuffurata.

A LOEN non aperire uenas , neque ciere ſanguinem, niſi per accidens, hoc eſt per acritudinem bilioſorum excrementorum , quæ per aluum deijcere facit: ſed eaſdem magis occludere, & ſanguinen undecunque fluentẽ ſiſtere, ſcribit Ioannes Manardus , uir inſignitè doctus, primo, nono & duodecimo Medicinalium Epiſtolarum libro : idq; probare innititur ex tertio Dioſcoridis libro, Plinij Naturalis Hiſtoriæ uigeſimoſeptimo, & Galeni ſexto de Simplicium medicamentorum facultatibus. Hanc Manardi opinionẽ Simius iſte Fuchſius (nam perinde atque ſimia, ridicula imitatione ridiculum ſeſe exhibet) in primo ſuo errato, nulla Manardi facta mentione, retulit ut ſuam : à quo nos diſſentientes, Auenzoaris Moſiſq; iudicium oppoſuimus, quo aloën abdita ſui facultate, id eſt, per ſe ſedis uenas recludere ſubteriori monſtrauimus, aut potius indicauimus, adnotatiuncula , Aloën dicentes uim adſtringendi & ſanguinis eruptiones compeſcendi habere cum Dioſcoride, Plinio & Galeno conſentiret Meſues uel aliquis eius patronus, eadem tamen hæmorrhoidum ora adaperire, & perinde ano officere , præter Auicennam & Meſuen experien

Primũ fuchſij erratũ ſeu paradoxum.

Annotatiuncula in fuchſium.

experientia monſtrat, idq́; abdita proprietate efficit, ut ſpe-ctatiſsimus Auenzoar medicus inſinuant libro Theſir primo, & Moſes Aegyptius libro ſuorum Aphoriſ. uigeſimoſecũdo. Proinde non ex accidenti ſolùm, ut putat Manardus, Fuchſi-usq́; excrementa, uidelicet, bilioſa deijciendo, ſed per ſe etiam ſedis uenas aloë reſerat. Ex quo patet quòd idem medicamen perſæpe contrarias obtinet uires, ut probat Galenus tertio de ſimplic. medicam. facultat. & Auicenna ſecundo Canonũ.

Prima fuchſij obiectio in notatiunculam.

Huic annotatiunculæ reclamans Fuchſius parũ fidos in ci-tãdis autoribus nos eſſe inquit, ſeq́; mirari ſatis non poſſe, qua impudẽtia auſus fuerim in Meſues de ui aloës ſententiã protra-here Auicennã, quũ illi ex diametro pugnent, & Moſen alle-gare, qui ne uerbo quidẽ meminerit aloën ano officere poſſe.

Reſpõſio ad fuchſij obiectionem.

Verùm ut intelligat iſte paradoxopeus in Auicennæ monumentis ſe prorſus [illegible] eſſe, & nullam in nobis eſſe impudentiam, ut blatterat ipſe impudentiſsimus, ac bo-na nos fide doctorum ſemper citaſſe teſtimonia, Auicennæ uerba ſubſcribam, quæ ſecundo Canonũ, tractatu primo, ca-pite quinto, ſic leguntur: Aloë ſoluit & mundat inteſtina, ſed tamen excoriat & aperit uenarum orificia. Cùm ergo aſſociatur ei dragagantum & bdellium, conglutinat draga-gantum quod abraſit aloë, & confortat bdellium uenarum orificia: & eſt incolume. Quam ſententiam Meſues in ſecun-do Canonũ uniuerſ. tranſcripſit inquiens: Remouemus ab aloë nocumentum quod imprimit in uenas, rectificando ipſam cum adminiſtratione bdellij aut dragaganti. Moſes item ſiue Ae-gyptius ſiue Cordubenſis uigeſimoſecundo ſuorum Aphoriſ-morum, inter Auenzoaris dictata, quæ etiamnum in primo

Theſir exarata extant, aloën refert ſpecialitatem habere nocendi partibus ani. Idem ſentire Meſues uidetur citato loco, dum ait, Nocet aloë hæmorrhoidibus & ano. Vnde nec cum Meſue Auicennam pugnare, nec me perditè Autorum abuti teſtimonijs liquet, ut noſter cauillator hic adſtruere non ueritus eſt.

Secũda fuchſij obiectio. *Qui iterum ſic inſtat: Si aloë inſita quadam ſubſtantiæ proprietate uenarum ora aperiret, tunc ſemper quouis modo deuorata id ipſum efficeret: quemadmodum enim medicamina purgantia ſubſtantiæ proprietate perpetuò humores ſibi familiares attrahunt, ita aloë nunquam non ob inſitam ſibi proprietatem uenarum ora aperiret.*

Tertia fuchſij obiectio. *Præterea Galeni teſtimonio nos conuincere putãs, ut eſt Dialectices imperitus, inquit: Si Galenus uim talem, quæ uenarum ora reſeraret, in aloë cognouiſſet, hanc certè ſilentio non præteriſſet.*

Reſpõſio ad ſecundã obiectionem. *Huiuſmodi ſunt Fuchſij* λεπτολεσχίαι. *Sed in ſecunda quod aſſumit falſum eſt, & à ſimili ducta argumentandi formula non adeò efficax à Dialecticis putatur, qua ſi utar argumentũ in metipſum Fuchſium hoc pacto regerere poſſum: Quemadmodum nec medicamenta purgantia ſubſtantiæ proprietate perpetuò humores ſibi familiares attrahunt, ita aloë deuorata ob inſitam ſibi proprietatem non ſemper hæmorrhoidum ora aperit. Aſſumptũ claret, quia interdum accidit quod propinatum catharticum proprium ſuccum non trahet, & perinde aluus non deijciet, ob alteratricis uidelicet potentiæ infirmitatẽ, ut in ſecundo Canonũ uniuerſal. Meſues teſtatur, uel propter peculiarem aſſumentis naturam, uel porrecti medicamenti*

Retortũ in fuchſium argumentum.

Cathartica purgatione interdũ fruſtrantur & quã ob rem.

menti exilitatem: quod colligi poteſt ex libro de his quos pur gare oportet, in quo contingit nonnunquam, inquit Galenus, accepta etiamnum medicina haud tamen cieri aluum, quod ipſum uel peculiaris ægroti naturæ, uel exilitatis porrecti medicamenti ratione accidit, non raro quoque excrementum durum in inteſtinorum aliquod impactum, quod ante clyſteri immiſſo poterat excerni euacuationem remoratur, itidem uſu euenit natura ſuos conatus ad urinam uertente. Quum itaque ex medicamento cui ſunt uires purgando aluus non efficitur cita, id ipſum peſtilens aliquoties ac exitiale corpori animãtis redditur, interdum tamen ne offendit quidem, nempe cùm in corporis alimentum tranſmutatur. Adde etiam quòd eorum quæ à tota ſubſtantia operantur, permulta ſunt quæ ſuos euen tus non ſemper producere poſſunt, nempe ut pares elementorum mixturæ, ſubſtantiarumq́; ſimilitudines naturales, concor dias & amicitias pariunt, quarum uoluptate res captæ quæ ualidiorem uim habet, alteram rapit, tracta uerò ut amico fruatur conſortio non renititur: ſic quæ contrarias mixtiones ſortita ſunt, diſsimilitudine quadam mutua naturarum odia conciliarunt, cæcisq́; diſcordijs eò uſque flagrant, ut admotis uires tãquam ab aduerſis impeditæ refrenentur, quod de ſexcentis medicaminibus inductione probare licet: nam adamas diſsidet cum magnete lapide intantum ut iuxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi, teſte Plinio trigeſimoſeptimo Naturalis Hiſtoriæ. Allio etiã per littus magnes ferrum trahere nequit, ut idem xx. libro indicat, quod etiam apud Syluaticum Albucaſis dixit. at magneti occultam uim ineſſe qua ferrum attrahere poteſt nemo neſcit, & Galenus prodit primo na-

turalium

Proprietas non ſemper effectum ſuũ ualet producere.

Adamãtis & magnetis diſcordia.

Magnetis et Allij contrarietates.

turalium uirtutum, & ſexto De locis affectis, quam uim ſuis uerſibus, libro De rerum natura ſexto, enarrare doctus nititur Lucretius. Succinum quoq; folia arida ac feſtucas aggregare eiſq; agglutinari ait Alex. Aphrodiſeus in problematum præfatione: hæc tamen ſi oleo lita fuerint permouere aduocareq; non poteſt, ut in quinto ſympoſiacorũ ſcribit Plutarchus. Non diſpariliter aloë non perpetuo quoties aſſumitur ſua deliteſcente potẽtia ſedis uenas reſerat, præſertim cùm lota fuerit, ut ſimpliciũ libro Meſues docet, et tragachante lachrymæ bdellioq; conſociata, ut ſecundo canonũ affirmat Auicenna.

Electri proprietas oleo imbecillitatur.

Reſpõſio ad tertiam fuchſij obiectionem.

Non omnia medicaminũ maleficia ſibi cognita ſcripſit galenus.

Venenata reticeri debẽt.

Galenus non omnium quæ nouerat oẽs uires ſciuit.

Apij ꝓprietatẽ galenus ignorauit.

Tertia Fuchſij obiectio conditionalis etiam eſt, cuius antecedens uerum eſſe conſequente exiſtente falſo poſſibile eſt, quando permulta ſimplicium medicamentorum maleficia Galeno comperta fuerunt, quæ literis committere noluit, ut colligitur libro De purgantium medicamentorum facultatibus, ubi hiſtoriam narrat, qua perſpicuum fit plura inuentum iri medicamina, quæ facultatẽ eiuſmodi obtinent, ut uel ab initio ſanguinem ſtatim educant. uerumenimuero, inquit, reticeri hæc conſultum fuerit, perinde ac cætera quoque uenenata à nemine mentis compote produntur. Itaque nec omnia cognouiſſe Galenum, nec eorum quæ cognoſcebat omnes etiam uires ſciuiſſe crediderim. Illud omnibus in confeſſo eſt: hoc uerò de apio maximè patet, cuius proprietatem Galenum ignoraſſe ſatis eſt euidens argumentum, quòd pedico affectui obnoxio apij uſum præſcribat in comitialis morbi conſilio, holeribus, inquiens, lactucis, maluis, à triplici blito, nolo ſemper abſtineat, quemadmodum nec his ſemper eum uti uolo. Sed aliàs aliud modice ſumat. ex hoc genere ſunt beta etiam braſſica, quæ

ca: quæ ipſæ ſunt quoque modicè deguſtandæ. Similiter & porro & apio & ſmyrnio uti nonnunquam conducit. Atqui apium epilepſiam excitare autor eſt Auicenna prima tertij phen, & ſecundo canone, cui adſtipulatur Meſues prima ſuæ praxeos ſectione. Idq́; uerum eſſe recentiores pleriq; omnes, qui morborum curationes conſcripſerunt, experti ſunt: & quia nulla proprietatum ſcientia eſt, ut adnotatione decimaquarta probauimus, abditarum apij aloësq́; uirium inſcius eſſe citra ſuæ ſapientiæ diſpendium Galenus quiuit.

Apij ꝓprietas malefica.

Nulla proprietatū ſciētia.

Hactenus omnia quæ de aloë aduerſum nos effutiuit Fuchſius irrita eſſe monſtraui. Nunc ad Guilielmum Puteanum, qui in ſua Meſue contra Manardum & Fuchſium defenſione, ad hunc modum argutatur:

Apparet propter diuerſas & pugnantes aloës facultates cæcam proprietatem non eſſe alia ratione accuſandam, niſi quia ipſa eſt ueluti confugium, uel deus potius tutelaris cæcæ multitudinis cauſas uariorum effectuum ignorantis. Vnde hoc loco hallucinatur Montuus, qui putat aloën, quia uirtutem habet adſtrictoriam, propterea non poſſe hæmorrhoidas niſi cæcæ proprietatis auxilio aperire: quod aperte falſum eſt. Hoc tamen illi condonato, miramur nihilominus, idq́; non parum, quur temere citraq́; rationem dicat eandem aloën primò & per ſe præfatas uenas à tota ſubſtantia aperire: cauſa ſiquidem eorum, qui à tota ſubſtantia fiunt effectuum, ignoratur, ſed ſola, autore Galeno, experiētia ſine methodo præfati effectus empirico more cognoſcūtur. Vnde, iudicio meo, non minus ſunt cæci qui dicunt effectus, qui fiunt, à tota ſubſtantia fieri, non per accidens, ſed primò & per ſe, quorum

Obiectio puteani.

cauſam ignorant, quàm effectuum prædictorum cauſa eſt cæca. Aut igitur Montuus fateatur ſe prædictorū effectuum cauſam & modum quo fiunt, ignorare, aut ſi noſcat, prohibemus ne poſtea cæcam uocet proprietatem.

Reſpōſio ad obiectionē.

In hac oppoſitione omni ratione deſtitutus uidetur Puteanus, nullam etenim affert, niſi imperioſe illi dicta, ſint pro ratione: conſultius tamen fecerit, ſi ſcire imperare (quod oppidò difficile eſt, ut dixit in œconomico Xenophon) diſcat, & baſilicè & politicè, ſuaq; ſuis iuſſa capeſſere faciat. Nos hic docebimus, quod ſe neſcire ſubindicat Puteanus, Aloën inſitam habere proprietatē, ſicuti pleraq; omnia medicamenta obtinent, quæ hæmorrhoicas uenas aperiat, non per accidens, quod Puteanus condonat, uerùm primò & per ſe, quod idem denegat. Aequo igitur animo ſit Puteanus, & auribus faueat.

QVOD ARCANA ALOE *proprietas inſit.*

Proprietas omnibus ineſt rebus.

MEſues cuius patrocinium contra Manardum & Fuchſium ſuſcepit Puteanus, in primo canonum uniuerſaliū Platonis autoritate, quæ, ſi bene memini, in Gorgia ſcripta eſt, proprietatem omnibus rebus ineſſe aſtruit. Galenus quoq; tertio de temperamentis, cuilibet corpori proprietatem quandam eſſe refert, ac tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, decimotertioq; Therapeuticæ methodi. Subinde in alijs tractatibus à ſe demonſtratum eſſe dicit, amicitias quaſdam pugnantiaſq; qualitatum omnibus rebus ineſſe, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate oriuntur. Has totis Naturalis Hiſtoriæ uoluminibus docere & mādare conatus eſt Plinius, ut ipſe

ut ipſe fatetur libro trigeſimoſeptimo naturalis hiſtoriæ. Has item ſpeciatim intercedere inter nutrimentum & alitum Galenus manifeſtat: etenim ſexto de tuenda ſanita. Quod ſingulis, inquit, conueniens eſt, duplex eſt: aliud quod ſecundum ſimplices qualitates, aliud quod ſecundum totam ſubſtantiam: & hoc ſola experientia diſcernitur, ac maximam uim habet, ad ea quæ bibuntur eduntur'q; non in uentre modò, ſed etiam toto corpore conficienda totius ſubſtantiæ conuenientia, cuius ratione nutrimenta animalibus uaria, & ſpeciebus multum inter ſe diuerſa habentur. & quarto eiuſdem, Cognatio, ait, quædā ei quod concoquit, cum eo quod concoquitur eſſe debet. Et ſecundo de aliment. ſuum cuique animanti cibum tota ſubſtantiæ proprietate à natura comparatum eſſe exarat. Ac tertio de temp. Oportet, inquit, toti nutrientis ſubſtātiæ cum tota nutriti natura communio aliqua ſimilitudo'q; ſit. Ex quibus allegationibus apparet liquidò quòd non in aloë modò, uerùm in alimentis rebusq; medicis atque phyſicis omnibus proprietatem præſtātiſſimi agnoſcunt doctores. Nec uerò, ut refert Aphrodiſeus, medicinæ artis autores tantùm rerū ſtatuere proprietates coguntur, ſed philoſophi etiam & grāmatici eodem perſæpe ueniunt, primo problem. prooemio. Proinde Puteanus utcunque Briſſotiſans toto aberrat cœlo, dum temere ait, cæcam proprietatem non eſſe alia ratione accuſandam, niſi quia ipſa eſt ueluti confugium, uel deus potius tutelaris cæcæ multitudinis cauſas uariorum effectuum ignorantis. Quibus uerbis cum medicis philoſophisq; omnibus, grāmaticos etiam ſuos obcæcauit. Atqui melius tertio de præſagatione ex pulſibus, cum Galeno dixiſſet, Illos qui ad

Alimēta animaliū uaria ob proprietatem.

Proprietates ſtatuere coguntur medici & philoſophi.

Puteani error.

proprietatem, quæ exprimi nequeat, confugiunt, nihil docere, ſcilicet per modum doctrinalem.

Problema.

Proprietas unde dicta.

Specifica uirtus totaque ſubſtantia.

Sed quur proprietas uocatur? an quòd propria mixti facultas ſit, & non communis ex primis qualitatibus una ex ſubſtantialibus ſpeciei aut indiuidui principijs orta? quæ quia ſpecificam ſeu ſubſtantialem formam conſequitur, ſpecifica uirtus totaq; ſubſtantia etiam nuncupatur, ut in medica iſagoge Neocomenſis declarat, & Conciliator differentia ſeptuageſimaprima. Oriuntur, inquit Galenus ſecundo de elementis, & quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, corporum particularium proprietates ex generationibus mixtura imparibus ac diuerſis, quæ ex quatuor elementis particulatim corporibus omnibus conſtant, eoq; à Porphyrio libro Prædicabilium, Indiuidua dicuntur, quoniam ex proprietatibus conſiſtit unumquodque eorum, quorum collectio nunquam in alio eadem erit.

Indiuidua quare dicuntur.

Quur cæca proprietas uocatur.

Puteani nugamentum.

Demonſtratio triplex.

Proprietatũ nulla ſciẽtia.

An ſola proprietas experiẽtia cognoſcatur.

Nec cæca effertur proprietas, quòd cæcorum ſit confugium, ut uult nugamentum Puteani, ſed quòd arcana ac penitus ſoli cognita Deo illius cauſa ſit, ut loco citato tradit Alexander: uel quòd cauſis euentibusúe immediatis cognoſci nequeat, ut iſagoge adducta Arnaldus autumat. Quapropter nulla demonſtratione, id eſt, ſimplici, quã ob rem, quòd eſt, immediata, mediatáue proprietas comprehenſibilis eſt. Ideoq; proprietatum omnium cum ſubiectitum remediorum nulla ſcientia exiſtit, ut eodem loco teſtatur Aphrodiſeus, & Auerrois primo canti. gloſſa trigeſimaprima. Solaq; proprietates experientia diſcernuntur, ut ſubinde Galenus inculcat, à quo diſſentire in parabolis Arnaldus putatur, dum ait: Proprietas incognita ratione uel ſyllogiſmo, reuela-

tione

tione uel experimento iuuantium uel nocentium innoteſcit. Et forſan proprietatis ſunt medicamentorum uires quas à dæmonibus aliquando commonſtrari ſexto ſimplicium antiquæ uerſionis Galenus prodit. Huc etiam referenda ſunt medicamenta aliquot inuenta uel probata inſomnijs, quæ inſomnia, ſi Homero credimus Iliados primo, ab Ioue oſtenduntur. Cui aſſentitur Galenus primo de ratione uic. acutorum morborũ, commentario decimoſexto, reclamante tamen Ariſtotele & Themiſtio libris de ſomno & uigilia. Autor quoque libri de renum affectib. ea quæ à tota ſubſtantia operantur reperta eſſe effert experimento & exercitatione haud rationali, uel ex natura, uel ex fortuna quadam, uel obiter non data opera uel imitatione, uel per ſomnium, uel ex oraculis, uel traditione, uel alijs quibuſdam, quibus empiricè conſtat. Et hinc ſuam parabolam excerpſiſſe uidetur Arnaldus. Hic ſubiungere non incongruum cenſeo quod Galenus quando hominis proprietatem propriamq; naturam ignoramus, ad communẽ nos confugere hortatur, primo ad Glauconem, & tertio Therapeuticæ methodi, propterq; proprietatis ignorantiã nullus in conſummatum aut perfectũ medicum euadere poteſt, ut ſeptimo collectorij Auerrois notatum reliquit. quam ſententiam à Galeno ex trigeſimo Therapeuticæ methodi mutuatus eſt.

Parabola arnaldi illuſtratur.

Inſommia à deo contra ariſtotelem.

Proprietate incognita exiſtente ad cõmunem naturam confugiendum.

QVOD ALOE DELITESCENTE ſui proprietate hæmorrhoidum ora aperiat.

NVnc ad Aloën reuertamur, quam occultam habere proprietatem modò demonſtrauimus, qua etiã hæmorrhoidum ora reſerari indicant Moſes & Auenzoar in præallegatis lo

tis locis. & Biſmaſue apud Raſem uigeſimoſecũdo Continentis. & quemadmodum pleraque medicamenta partibus eximiè curandis ſunt idonea, ut Iocinori patienti Eupatoria herba, Lieni glans unguentaria, renibus uerò ſaxifragia & bethonica poſtremè auxiliatur, libro de theriaca ad Piſonem, econtrario nonnulla medicamenta per abditam uidelicet proprietatem partès quaſdam corporis priuatim uitiant: Nam lepus marinus pulmonem ſolum ex omnibus corporis particulis exulcerat, & cantharis ueſicam peculiariter afficit, primo de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη. Ita Aloën pari uirtute occulta, quæ in ano ſunt uenas adaperire nihil prohibet. Quinimò quotidiana docemur experientia, in illis qui aloën tranſglutiunt, præfatas uenas reſerari.

Peculiares pluriũ rerũ proprietates

Itaque huiuſcemodi uenarum apertio ab euacuatorum humorũ acredine contingit, ut opinãtur Manardus & Fuchſius, uel ab abdita aloës proprietate efficitur, ut præallegati tradunt doctores, non primum, ſiquidem aloë cum tragachanta bdellioq; deuorata acres ſubducit humores, non tamen hæmorrhoidas uenas aperit, ut notauit Raſes libro diuiſionum. Accedit quòd iam dictas uenas intro in corpus aſſumpta aloë reſerat, quamuis elota, quæ alui excrementa excernere, non item acres humores purgare poſſe uidetur: etenim permultum medicamentoſæ uirtutis per lotionem amittit, ſeptimo Therapeutices Methodi, & ſexto de compoſitione medicamentorũ κατὰ τόπους. Illota etiam purgatoriam uim non ualentem habet, ut inibi dicitur, atque adſcribitur medicamentorum numero, quæ Græci ab excernendo ſtercore uocant ἐνκοπρωτικά, ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quocirca

Aloë elota & illota.

non hu

non humorum, quos purgat, acredine, ſed arcana nimirum proprietate ſedis uenas aloë reſerat. Cuius itaque proprietas ſi prænominatas haud aperiret uenas, otioſa exiſteret. Otioſa autem potentia eſt, ex qua nulla actio prouenit, ut aiunt Ariſtoteles & Auerrois primo cœli: nam quòd aloë uentrem ſubducat, ac reliquæ eius omnes facultates, præter hanc unam qua ſpeciatim anum reſpicit, in cauſas patentes manifeſtasq́; referri poſſunt, ex Galeni methodo, quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus tradita. Si igitur hæmorrhoidas non reſerat aloë proprietas, otioſa utique erit: atqui fruſtra natura nihil facit, teſtibus Ariſtotele & Auerroë loco allegato, & Galeno primo De uſu partium. Idcirco abdita aloën proprietate hæmorrhoidum ora aperire conſentaneum eſt. Quam concluſionem ſuis obiectionibus haudquaquam infirmare potuit Fuchſius, ac multominus Puteanus, ut in prælibatis ſatis apparuit: tametſi facilius ſit deſtruere quàm conſtruere, ut Ariſtoteli placet ſeptimo Topico. nec illã ego ut meam, ſed ut ueriſimilem & iam præcitatorum doctorum opinionem defendo.

Otioſa potẽtia.

QVOD ALOE ABDITA SVI proprietate hæmorrhoidum ora per ſe aperiat.

IN præcedenti obiectione nobis condonauit Puteani liberalitas, Aloën occultam habere proprietatem qua ſedis uenas aperit: miratur nihilominus, idq́; non parum Puteanus, cur temere dixerim eandem Aloën primò & per ſe præfatas uenas à tota ſubſtantia aperire, quia cauſa eorum qui à tota ſubſtantia fiunt

Obiectio puteani repetita.

tia fiunt effectuũ ignoratur, ſed ſola experientia præfati effectus cognoſcuntur. Vnde iudicat non minus eſſe cæcos qui dicunt effectus qui fiunt à tota ſubſtantia fieri non per accidens, ſed primò & per ſe, quorum cauſam ignorant quàm effectuum prædictorum cauſa eſt cæca.

Reſpõſio ad obiectionẽ.

Vt ingenuè fatear, in iſtis Puteani uerbis non cognoſco antecedens conſequentis cauſam eſſe, nec illud inferre potuiſſe: quo fit ut uerum eſſe antecedens cum falſo conſequente poßibile ſit, eóq; oppidoquam inſcitè argumentatus eſt Puteanus. Itáq; ut quæ in me impudenter aſperſit decenti reſponſione detergam, temere nihil me diſſeruiſſe ſciat: nam abſtemius natura nec magnos calices exiccare, nec temulentorum more inconſideratè loqui ſolet.

Omnis proprietas ad effectũ aliquẽ ordinata.

Porrò quòd arcana aloës proprietas hæmorrhoidum ora per ſe aperiat, ſic demonſtramus: Omnis proprietas ad aliquid ſuapte natura eſt, ſiquidem magneti lapidi ad ferrum trahendum proprietas ineſt, primo naturalium uirtutum, & in ſcamonia ad flauam bilem, in colocyntha, agarico, albo ueratro, elpholbióq; & cocco cnidio ad pituitam. In nigro autem ueratro & epithymo ad nigram bilem attrahendum eſt proprietas, marináq; torpedo uel per ipſam lineam torporem in corpus adigit, uti refertur apud Aphrodiſeum primo problematum procœmio. Aſſumptum etiam de ſexcentis medicaminibus inductione probare facile eſſet.

Præter hæc omnis proprietas nomine exprimitur denotante rationem ad illum effectum, ad quem ſuapte natura ordinatur, uerbi gratia, Aconiti ſeptica deleteriáq; proprietas nominatur, ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, &

bus, & uipereæ ſaliuæ deleteria proprietas dicitur. Libro de inæquali intempe. theriacæ proprietas alixeteria eſt, libro de theriaca ad Piſonem. Mithridatijq́; eodem nomine inſignitur facultas, primo de antidotis uigeſimotertio & uigeſimoquinto naturalis hiſtoriæ, ſmaragdi proprietas Zoari libro primo alexipharmaca putatur. Itaque in ſimplicibus compoſitisq́; catharticis(quæ per uim attractoriam familiarium ſuccorum talia ſunt: duobus enim modis cathartica dicuntur, quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus) quædam proprietas cholagoga, quædam phlegmagoga, & quædam hydragoga nuncupatur, libro de purg. medic. facultati. ex quibus liquet quòd proprietas non per accidens, ſed proprij euentus per ſe cauſa eſt. Eſt enim cauſa per ſe, quæ quum ad aliquid ſuapte natura ſit, cauſalitatis nomine pariter eſt expreſſa ſecundo phyſicorum, quam ob rem effectus ſuos omnis proprietas per ſe producet, quia per ſe cauſa exiſtit, & ſi ab uniuerſali ad ſuam particularem ſit formalis conſequentia. Hinc infertur, quòd aloës proprietas ſuos euentus per ſe operatur, & efficit.

Proprietas ſui euentus per ſe cauſa eſt.

Quod ut facilius intelligat Puteanus, iterum ſubteriori ratiocinatione monſtrabimus, aloë per cæcam ſui proprietatem uenarum ora quæ in ſede ſunt, aperit, ut in præfatis multorum autoritate, & aliquot rationibus enodatum iam eſt. Aloës igitur proprietas hæmorrhoidarum oſcula aperiens appellanda eſt. Illatio ex eo pendet, quòd omnes proprietates à ſuis effectibus denominantur ac definiuntur, illisq́; ſolis magna ex parte cognoſcuntur, ut in medica iſagoge Neocomenſis exarat: quod etiam pluribus Galenus locis inſinuauit. Itaque aloëticæ proprietatis definitio ex genere & effectu

Proprietas à ſuo effectu de nominanda.

ſuo componi ad hunc modum poteſt: Eſt proprietas illarũ tantummodo uenarũ quæ in ano ſunt oſcula aperiens. In qua definitione, uirtus hæmorrhoidarum ora reſerans comprehenditur: ob idq́; huiuſmodi uirtus, quæ hæmorrhoica uaſa recludit, ab aloës proprietate ſeparari nequit. Ex quo euidentiſſimè ſequitur, quòd talis facultas prædictæ proprietati per ſe ineſt: ut claret ex modis eorum, qui per ſe habentur primo poſteriorum Ariſtotelis, quo fit ut ſedis uenas per ſe reſerare abdita aloës proprietas poſſit.

QVOD VNIVERSA QVAE à tota ſubſtantia operantur per ſe agant.

QVæ per ſe per accidensq́; agunt, quia faciendæ rei præbent operam, efficientes cauſæ ſunt, ut liquet ex ſecundo Phyſicorum, non de illarum numero quæ delectum, ſed quæ neceſſitatem in agendo ſequuntur: nam conſilij iudicijq́; expertia ſunt, ſaltem quatenus ſic operantur. Itaq; quæ per ſe agunt, cauſis adſcribũtur, quæ naturæ conatu operantur, non item illis quæ externa ui agunt: etenim natura eſt principium motus & quietis eius in quo eſt primò & per ſe, ſecundo Phyſicorum, conatu autem naturæ agunt ea quorum agendi principium eſt intra ipſa, nullo extero adiuuante, ut colligitur quinto Aphoriſmorum, commẽtario uigeſimoſecundo, ut ignis urendo per ſe agit, quoniã caloris uis qua urit natiua eſt ipſi. Aqua per ſe infrigidat, quòd frigoris uis qua refrigerat natiua eſt ipſi, nec deficit res iſtas agendi uis, nec ceſſant agere, quãdiu eſt copia ipſis alicuius in quod efficaciã

Cauſæ per ſe agentes.

Natura quid

Conatu naturæ agentia.

ſuam

ſuam explicare poßint: ut primo de inuent. dialect. Rodolphus notatum reliquit. Itaque Galenus id quod ab initio ad finem uſque dum applicatum eſt, magis ac magis aliquid efficit. Id non ex accidente, ſed ex ſua natura, id eſt, per ſe agere aſſerit, primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Et quia ei quod per ſe illud quod per accidens dicitur ex aduerſo poſitũ eſt, ut idẽ perhibet tertio de temp. econtrario per accidens agere dicuntur, quæ uiolente uel ui externa agunt, oppoſitorum eſt enim eadem diſciplina, ſexto topicorum, ſunt autẽ ea quibus ab alio uis eſt agendi inſerta, ut aqua feruens calefacit, non ſua ſed ignis ui, à quo calorem accepit. Multa etiam aquæ gelidæ perfuſio in iuuene bene carnoſo æſtate media calefacit, ut Hippocrates ait quinto aphoriſm. quòd caloris repercuſſum faciat: ut in commentario, & tertio de temp. Galenus interpretatur, id eſt, non ſua ſed caloris introrſum ob antipariſthaſin reuocati uirtute. Cauſa etiam mediata quãdo non propria facultate, ſed per illius cauſæ, quæ intermedia eſt, uim agere uidetur, ex accidenti operari Galeno dicitur tertio de temperam. Et quomodo non eſt diuturna uis iſtarum agentium per accidens cauſarum, ſed remittuntur franguntq́; quantum poſſunt inditum ſibi conatum, & ſtatim naturæ redduntur: ita plurimi ipſarum euentus citiſsimè finiuntur & deſinunt. Perit nanque celeriter, Galenus inquit tertio de temperamentis, eorum quæ ex accidenti ſunt calida, acquiſititius affectus, ita ut in priorẽ naturæ ſuæ ſtatum facilè reuertãtur.

Per ſe agentia agẽtibus per accidens contraria.

Per accidens agentia quæ & qualia.

Cauſa mediata per accidens agit.

Per accidens agentiũ cauſarũ uis non eſt diuturna.

Ex quibus præfatis ſatis liquet quòd uniuerſa quæ à tota ſubſtantia operantur per ſe agunt: illa ſiquidem quòd efficientes cauſæ ſint, ſuo ſe nomine produnt, & quum ſint conſilij

Omnia à tota ſubſtantia operãtia per ſe agunt.

iudicijq́; expertia, ſaltem quatenus ſic operantur, delectu agere non poſſunt, quam ob rem neceßitatem in agendo ſequantur oportet, ex ſufficienti efficientium cauſarum diuiſione. Iſthæc præterea à nullo extero, ut euidentißimum eſt, uim agendi mutuantur aut deſumunt, innata igitur uirtute agunt ac operantur, & conſequenter per ſe, & horum aliqua, uiſa ſolum, robur ſuum oſtendunt, ut ſtellio ſcorpiones uiſos ſubſtringit, atque ita perimit, per ſe ſcilicet, libro de theriaca ad Piſonem, et quidam homines uiſu effaſcinant interimuntq́;, quos diutius intuentur, ut apud Plinium ſeptimo naturalis hiſtoriæ Iſigonus dixit: prodit enim de eorum pupillis radius exitialis, qui per oculos obducti hominis ſubit, uertitq́; quam aggreſſus naturã eſt, maloq́; habitu deprauat, ut ſecũdo probl. quinquageſimo declarat Aphrodiſeus, & Plutarchus quinto ſimpoſiacorum libro. Baſiliſcus olfactu interficit, uigeſimono no naturalis hiſtoriæ. Idemq́; ſibillo uicinos ſibi ſerpentes interimit, teſte Oroſio ſecundo de notis hieroglypicis, & aſpectu tactuq́; exitialis eſt, autore Aeliano nono hiſto. animalium. Contrà, Pſylli Marſiq́; ex familijs quæ ſunt terror ſerpentibus tactu ipſo leuant percuſſos, uigeſimooctauo naturalis hiſtoriæ, ſic pollicis dextri tactu lienoſos medebatur rex Pirus ſeptimo naturalis hiſtoriæ, & ſtrumas identidem manus dextræ tactu ſanat chriſtianißimus Francorum rex cuius rei plures oculati teſtes ſumus: & Galerita auis ſi editur omnes colicos dolores pari uirtute ſedat ſecundum Samonicum: & Troglodites auicula renum calculos curat, ut in tertio narrat Aegineta, & in undecimo Aetius. Galgulus quoq; auis ſi ab ictero ſpectetur, ſanari id malũ tradit Aelianus decimoqui

Stellio.

Homines qui effaſcinãt et quomodo id fiat.

Baſiliſcus.

Pſylli & marſi.

Rex Pirus.

Rex Francorum.

Galerita.

Troglodites.

Galgulus.

cimoquinto hiſtoriæ animalium. Et lapidem (qui Bezear appellatur) uenenis omnibus arcana facultate aduerſari, teſtis eſt Euax libro de gemmis. Sunt alia id genus bis mille medicamenta, quæ abdita proprietate per ſe operantur, & quorum euenta non ex accidenti, ſed per ſe fieri neceſſe eſt.

Bezear.

AN PER SE ET PRImò idem ſignificent.

ENodatum iam habeo quid per ſe operari & agere, quidq́; per accidens ſit, atque omnia quæ à tota ſubſtantia operantur per ſe agere demonſtraui: quod Puteanum ignoraſſe ex præcedenti ſua obiectione manifeſtè patet: quem mihi mirari ſubit, quoniam uocis per ſe per accidensq́; ſignificatus neſciens, ſolem, ut aiunt, facibus illuſtrare, hoc eſt in Galeni de ſimplicium medicamentorum facultatibus libros ſua gloſſemata polliceri audet. Nunc uerò propter materiæ affiniam & cognationem diſquirendum eſt, an per ſe & primò idem ſignificent. Per ſe & primò iuxta Galeni ſententiam idem ſignificare uidentur, nam tertio de temp. ait: Cùm per ſe dicimus uel primum uel nullo intercedente medio, omnibus eiuſmodi uerbis idem poteſtate ſignificamus. Et libro de differentijs ſympto. ſignificat per ſe, inquit, idem quod primò: quamuis nonnulli atticè loquentium hoc uocabulum non ſeruent: per accidens autem id quod ſecundò, ac utrunq; calculorum exemplo declarat his uerbis: Id quod ſuapte natura inducere poteſt ei quod fit aliquam ſuæ generationis partem, ipſum illius cauſa dicitur, cuius complura ſunt genera, nempe materia, utilitas, ſcopus, inſtrumentum & unde principium motus, quippe

Per ſe et primò ſecũdum galenũ idem ſignificant.

Cauſſa quid & eius genera.

horum quodlibet nonnihil ad perfectionem eius quod fit conducere poteſt. Quæ uerò nihil inferunt, ſed inferentes cauſas impellunt, ea cauſæ ſine qua non rationem obtinent. Iis ita ſe habitis, poteſt ordo quidem cauſarum, quæ crebro ſeſe inuicem ſuſcipiant, inſtitui: ueluti pluribus inter ſe calculis ordine diſpoſitis ſi quis primum moueat: primus uerò ſecundum, atq; hinc tertium, & ſic deinceps quilibet ſeſe ſequentem. Igitur qui primo calculo digitum applicat, primò quidem hunc mouet, ſequentem uerò per accidens & ſecundò, itidem reliquos quoque omnes: ſic etiam primus per ſe mouet ſecundum, tertiũ uerò & deinceps reliquos per accidens: atque eadem ratione ſecundus mouet tertium quidem primò, quartum uerò & quintum & alios deinceps ſecundò. Quod ſi accuratius diſtinguere uolueris (id enim ad exquiſitam rerum notitiam utilius uidetur) quilibet calculus primò mouet eum qui ſibi contiguus eſt, ſecundò autem eum qui hunc ſequitur, ita tertius mouet illum qui ſe ſequitur, & quartus eum qui deinceps eſt. Ex quibus Galeni uerbis primò & per ſe idem ſignificare palàm fit.

Primo et per ſe differunt ſecũdum Auerroem.

Veruntamen Auerrois ſecundo Phyſicorum, commentario tertio, primò & per ſe differre facit, ſicut magis & minus uniuerſale: etenim omne quod primò ineſt, ut ſcribit, per ſe ineſt, non contrà: unde id quod per ſe eſt uniuerſalius, & quod primò preſſius cenſet.

Primò et per ſe qui differunt ſecundũ Simplicium.

Contrarium uerò ex Themiſtij paraphraſi ſecundo Phyſicorum, colligere licet: atq; ibi Simplicius hoc ipſum exactius & uberius explicans, differre dicit id quod primò alicui ineſt ab eo quod per ſe: non enim omne quod per ſe, primò ineſt, ſiquidem quum quid per ſe cuipiam inſit, & id rurſus alteri per

ſe ineſt

ſe ineſt, primum tertio per ſe quidem ineſt, non autem primò: ut triangulo per ſe ineſt, tres angulos duobus rectis æquos ha bere, qua triangulus eſt, & triangulus æquicruro, id eſt, duorum æqualium laterum per ſe ineſt, quare & æquicruro tres angulos duobus rectis æquos habere per ſe inerit: æquicrurus enim ut æquicrurus, triangulus eſt, ut triangulus tres angulos duobus rectis æquos habet, & ab æquicruro ſeparari non po teſt, tum triangulũ eſſe, tum tres angulos duobus rectis æquos habere: atqui duobus rectis angulos æquos habere non illi pri mò contigit, ſed per medium triangulum. Addit Simplicius, Præterea *album ſuperficiei primò ineſt, & uirtus animæ: non enim per aliud quoddam medium inſunt, non tamen hæc per ſe ineſſe dicantur, non enim eorum quibus inſunt ſubſtantiam conſtituunt, nec in illorum definitione ſumuntur, & ſeparari poſſunt, tum album ex ſuperficie, & uirtus ab anima, proinde per ſe & primò ſeparata & coniũcta reperiri,* Ideoq; *nullum inter ſe ordinem habere ſecundum* Simplicium *conſpicuum eſt, ſed præſtat ipſius* Simplicij *uerba ſubtexere:* Διαφέρει δὲ τὸ πρώτως τοῦ καθ' αὑτὸ· οὐδὲ γὰρ τὸ καθ' αὑτὸ πᾶν πρώτως ἐστὶν, οὐδὲ τὸ πρώτως καθ' αὑτό. καὶ γὰρ ὅταν τὶ καθ' αὑτὸ ὑπάρχῃ τινὶ καὶ ἐκείνῳ πάλιν ἄλλῳ τινὶ καθ' αὑτὸ ὑπάρχῃ, καὶ τὸ πρῶτον τῷ τρίτῳ καθ' αὑτὸ μὲν ὑπάρχει, οὐ πρώτως δέ. οἷον τῷ τριγώνῳ καθ' αὑτὸ ὑπάρχει τὸ τὰς τρεῖς γωνίας δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν ᾗ τριγώνῳ, καὶ τῷ τριγώνῳ τὸ ἰσοσκελεῖ καθ' αὑτὸ ὑπάρχει· διὸ καὶ τῷ ἰσοσκελεῖ τὸ τὰς τρεῖς δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν καθ' αὑτὸ ὑπάρχει· καὶ γὰρ ᾗ ἰσοσκελὲς τρίγωνόν ἐστι καὶ ᾗ τρίγωνον δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν· οὐ μὴν τοι πρώτῳ τῷ ἰσοσκελεῖ τὸ δυσὶν ὀρθαῖς ἴσας ἔχειν, ἀλλὰ διὰ μέσου τοῦ τριγώνου καὶ τὰ λοιπά, **Addit Simplicius.** πάλιν γὰρ τὸ λευκὸν τῇ ἐπιφανείᾳ πρώτως ὑπάρχει

Triangulus.

Aequicrurus

ὑπάρχει καὶ ἡ ἀρετὴ τῇ ψυχῇ· οὐ γὰρ δι' ἄλλου ὄντος μέσου. οὐ μὴν τὸν καθ' αὑτὸ ὑπάρχει ταῦτα· οὔτε γὰρ συμπληρωτικὰ τῆς οὐσίας τῶν ὑποκειμένων ἐστὶν οὔτε ἐν τῷ ὁρισμῷ παραλαμβάνεται καὶ χωρίζεσθαι πέφυκε τό τε λευκὸν τῆς ἐπιφανείας καὶ ἡ ἀρετὴ τῆς ψυχῆς.

QVOD ALOE MANIFESTA ETIAM *qualitate uenarum oſcula reſerare poßit, maximè cùm intro in corpus aſſumpta fuerit.*

CAeterùm ad aloën reuertamur, quæ non ſolùm eorum quæ excernuntur acritudine, ut perperam Fuchſius opinatur, uenas reſerat, ceu & alia quædam cathartica faciunt, quod Galenus teſtatur ſexto Aphoriſmorum, commentario quadrageſimoſeptimo, ſed manifeſtè etiam qualitatis poteſtate, ut nunc retegemus, etenim tertij eſt ordinis exiccantium, calefacientium autem aut primi intenſi, aut ſecundi remißi, ſexto de ſimplicium medicament. facul. & primo Aetij ſermone. proin inter anaſtomica, id eſt, aperientia, adnumeratur. Itaq; quia fortiter amara eſt, & modice adſtringens, ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, contrarias obtinet uires, quibus uenas aperire & occludere, ſanguinemq; ciere, atque ſiſtere ſolet, quippe amaritudinis ratione in ea eius adſtrictionem uincentis meatus expurgare & recludere uiam faciendo ſuæ adſtrictioni, & uaſorum oſculis apertis ſanguinem ciere poteſt. Hæ enim amari ſaporis facultates ſunt, ut ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & octauo Galenus docet, de erythrodano & marrubio differens, Adſtrictionis uirtute amaritudinem ſequentis modicè adſtringendo

Aloë tertij gradus ſiccitatis & primi caliditatis.

Aloë anaſtomica.

Aloë quas habet uires.

Amari ſaporis facultates

gendo uenas occludit aloë, atq; ſanguinem undecunque fluentem ſiſtet. Vnde ſcienter Oribaſio dictum eſt quinto ſimplicium libro, quòd aloë epota purgat & aperit, & extrorſum illita adſtringit. Cui adſtipulatur Iacobus à partibus egregius Auicennæ enarrator, quem imperite nimis Fuchſius taxauit, non intelligens quòd, ut inquit Galenus quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, amara intro in corpus aſſumpta, ſi adiuncta ſit quædam adſtrictio, poſſunt tamẽ ſic quoq; magnos purgare abſtergereq; meatus, cuiuſmodi ſunt in uaſis: at foris meatuũ exiguitas prius ab adſtrictione occluſa quàm probe queat expurgari, non etiam inde in altum abſtergentem ſubſtantiam recipit, nec expurgatur.

Aloë epota aperit uenas & extrorsũ illita aſtringit contra ſuchſium.

Hic addidiſſe non ab re forſitan ſit Puteani in Manardi & Fuchſij præfatam de aloë opinionem oppoſitiones, quas in breuem uerborum ſummam (nam illæ pluribus haud ad rem magnopere pertinẽtibus diſtrahũtur) perſtrinximus: ſic tamẽ ut nihil ex eis ſententiarũ deſiderari poſsit. Quarum prima:

Aloë fortiter amara eſt, & modicè adſtringens, ſexto de ſimplicibus medicamentis: unde ratione amaritudinis poteſt uenarũ ora aperire, & adſtrictionis uirtute eadem claudere, ut colligitur ſexto de ſimplicibus, capite Rubia. & octauo, capite Praſsium. idq; primò et per ſe: hæ enim ſunt aloë ſecundæ & germanæ qualitates, quibus primò & per ſe operetur oportet: quid autem ſit per ſe operari, quid per accidens, latè docemus ex Galeno in his quæ ſuper Galeni librum de ſimplicibus medicamentis parturimus commentarijs.

Oppoſitiões puteani in manardũ & fuchſium.

prima oppoſitio.

Secunda. Sicut emplaſtica medicamenta ſuo illitu, & emphractica farctu poros & meatus corporis ſua craſsitie uel uiſcoſitate

Secunda oppoſitio.

uiſcoſitate illinendo uel infarciendo opplent & claudunt: ita amara, quia emplaſticis & infarcientibus qualitate & effectu contrariantur, quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, farctu liberando, meatus expurgãdo, eoſdem meatus recludant oportet. Aloë igitur licet aliquid ſemper habeat adſtrictionis, ratione tamen amaritudinis in ea eius adſtrictionem uincentis primò & per ſe digerit, detergit, meatus quoq; uenarum expurgando & abſtergendo aperit.

Tertia oppoſitio.

Tertia: Acerba medicamẽta ſanguinis eruptionem ab internis partibus corporis exilientem curant, quinto Therapeuticæ methodi, quia cogunt, denſant, refrigerant: ita amara expurgantia illis contraria laxant, aperiunt, calefaciunt. Aloë igitur quæ fortiter amara eſt & expurgans, laxabit, calefaciet, & aperiet orificia uenarũ: quod & Galenus apertis uerbis aſſerere uidetur, quarto ſimplicium medicamentorum, capite decimoſeptimo, dicens: Quod extra corpus in ulceribus poſſunt facere amari ſapores, id ipſum intra corpus ſumpti præſtare poſſunt: expurgant enim & detergunt, & quæ in uenis eſt craſsitiem incidunt, & lentorem extergunt. Vnde menſes mouent, & his qui ſanguinem ſpuunt, ſunt noxij: nam hi adſtringentia & uiſcoſa, non incidentia & expurgantia poſcunt. Hæc Galenus.

Quarta oppoſitio.

Quarta: Amara omnia non ſolùm aperiunt uenarum ora, uerùm etiam poſſunt ſanguinem prouocare. Fel quia amarum, hæmorrhoidas aperit & ſanguinem prouocat, decimo de ſimplicium medicamentorũ facultatibus. Elaterium quia amarum, menſes citat, octauo eiuſdem. Orobus quia amarus, uenas aperiendo menſes & ſanguinem cum urina euocat, ibidem. Sunt

etiam

etiam amara praſsium, capparis cortex, quæ quia ſunt amara, licet etiam adſtrictionem participent, ſanguinem tamen, autore Galeno, euocãt. Aloë igitur quæ ſimul adſtringens eſt, & fortiter amara, quur ſanguinem non proritabit?

Quinta & ultima: Experiuntur medici glandem alui ducendæ gratia ſuppoſitam, ſi ex picra, uel ex ſola aloë cum melle conficiatur, ut plurimum à uenis hæmorrhoicis ſanguinem prouocare. Quinta oppoſitio.

Tales ſunt bellaces Puteani argutiæ, quibus tamen Manardo & Fuchſio, quos oppugnare optabat, nihil refragatur Puteanus, quod conſpicuum faciemus, demonſtrando aloën amaritate ſua uenarum orificia primò & per ſe aperire non poſſe, hoc pacto: Amarus ſapor diuerſis conſtare uirtutibus poteſt: nam prout à caliditate ſiccitateq; efficitur, euenta caliditatis ſiccitatisq; operatur: quæ ſparſim Galenus explicat quarto, quinto & ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & ſeriatim Auicenna ſecundo canone: quatenus uerò à uehementi congelatione naſcitur, iuxta Auerrois de opio dicta quinto collectorij, contraria omnino efficit. Opiũ enim quum ualidè refrigerans ſit, ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, uenarum oſcula claudit, tantum abeſt ut reſeret: ex quo claret, quòd ſecundæ ſaporis facultates per primas & omnium communes caliditatem, frigiditatem, humiditatem & ſiccitatem maximè operantur. Ideoq; in aloë aperiens amaritatis uirtus non primò & per ſe, ſed aliqua interiacente cauſa, uidelicet caliditate, ſiccitateq; operatur. Adhæc aloë amaritudine ſua propriè & per ſe nil, niſi in guſtu, agere poteſt, quia à ſolo guſtu omnis ſapor, & conſequenter omnis amaritas

Reſpõſio ad omnes puteani oppoſitiones.

Aloë amaritudine ſua uenas primò et per ſe non aperit contra Puteanũ

amaritas, natus eſt percipi, in quo ſcilicet ſuam imprimit ſpeciem, ut docet Ariſtoteles ſecundo de anima: & quum ea ſpecies ſit qualitas, ad qualitatem autem alteratio ſit, tertio Phyſicorum, & primo de generatione & corruptione, ſaporem eſſe paſſionem effectiuam alterationis in guſtu doctè (ut omnia) definiuit Ariſtoteles libro de ſenſu & ſenſato. Quapropter ſi aloë uenas ſua reſeraret amaritudine non primò & per ſe, ut minus doctè putat Puteanus, ſed ex accidenti id operabitur. Quod à Manardi Fuchſijq; placitis haud diſſonat, aloën affirmantibus uenarum, quæ in ano ſunt, orificia aperire ex accidenti, & non per ſe, id eſt, eo id facere, quod acres humores mouet, & per ſedem è corpore educit, illos expurgans, non ſola amaritudine, ut credit Puteanus, ſed attractoria etiam facultate, ut innuit Galenus ſexto de tuenda ſanitate, Aloën dicens billioſi trahendi humoris facultatem habere, & ei admixtam purgandi uim eſſe, decimotertio Therapeutices methodi. Proinde ſatis conſtat Puteanum (qui in Galeni de ſimplicium medicamentorum libros ſe gloſſemata parturire perhibet) quid per ſe operari, quidq; per accidens ſit, ignorare, uel clauſis (ut aiunt) oculis contra Manardum noſtra tempeſtate incomparabilem medicorum antiſtitem pugnare.

Sapor quid.

Aloë humores non purgat ſola amaritudine ſed etiam attractoria ui contra puteanũ.

Sunt præterea Fuchſij de aloë duo paradoxa, in uno aloën melli commixtam non minus, imò plus purgare, aduerſus Auicennam ſecundō canone, & Meſuen libro uniuerſalium ſecundo, contrarium ſcribentes, contendit, in hocq; citat aliquot Hippocratis, Dioſcoridis & Galeni teſtimonia ad id quod propoſitum eſt, nihil facientia: quippe quibus tantùm probat quod mel aluum ad excretionẽ proritat: quod nec Aui

Secundũ fuchſij paradoxum aloën melli commixtã plus purgare.

cenna

cenna nec Meſues, ut uidere eſt, inficiatur. Deinde ſi mel, inquit, ſe ſolo uentrē ſubducere poteſt, quur non idem plus efficeret additum alteri, quod ſimilem uim obtinet?

Ex quibus uerbis bis erraſſe Fuchſium colligitur. Primò, quia non ſimilis omnino, ſed maior eſt aloës quàm mellis purgandi uirtus, ut palàm eſt. Nam aloë non modò ſubducit uentrem, ut puta ex numero medicamētorum, quæ Græci ab excernendo ſtercore uocant ἐκκοπρωτικὰ, ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, uerùm etiam bilioſi trahendi humoris facultatem habet, ſexto de tuenda ſanitate: mel uerò ut tertio de alimentis Galenus, & ſermone primo ait Aetius, maxima abſtergēdi ui, qua pollet, uel ſua leui acrimonia, quam à tenuitate ſuæ ſubſtantiæ acquirit, aluum ad excernendum proritat: maior igitur aloës quàm mellis purgādi facultas eſt.

Refutatio paradoxi.

Maior eſt aloës quàm mellis purgā di uirtus.

Secundò peccat Fuchſius quia non ſemper idē additū alteri, quod ſimilem uim obtinet, magis efficit, niſi illa in forma & gradu, ut philoſophi loquuntur, ſimilia fuerint. Nempe minus calidum magis calidum remittit, ac minus aperitiuum magis aperitiuum, & quarti ordinis catharticum primi ordinis cathartico imbecillitatur: & in uniuerſum maior purgandi uirtus minori ſibi commixta remittitur, ſi ſpectatis doctoribus credimus, quod in libello de proportionibus medicamentorum ſcitè declarat Gentilis, cui in Simplicium libro, deq; medicinarum graduatione ſubſcribit Arnaldus. Et forſan quòd aloë per mel uertatur, ne ſoluat attrahendo, ut autumat Auicenna ſecundo canone, cui non refragatur Galenus, ut putat Fuchſius ſeptimo Therapeuticæ methodi, dicens quòd picra quam deſpumato melle excipiunt minus uentrem robo-

Non ſemper idem additū ſimili magis efficit.

maior purgā di uirtus minori ſibi cōmixta remittitur.

Aloë p mel uetatur ne ſoluat trahē do.

Picra cũ melle magis ſubducit non tamen aloës ratione.

In picra cum melle aloë imbecillitatur.

Picræ cum melle doſis eſt maior picræ ſiccæ doſi.

Cochlearis parui & magni mẽſura.

Picra ſicca utilior.

Tertium & ultimũ Fuchſij de aloë paradoxũ, aloë ſtomacho et hepati nõ nocere.

rat & magis ſubducit. Idem nanque met ipſe confitetur Auicenna decimatertia tertij phen, idq; non aloës, ſed potius mellis & aliorum quæ in ſe habet picra ratione euenire par eſt, quorum acrimonia & calore mel calidum tenue atque acre magis efficitur, ex quo aluum magis uellicare, ſicut & craſſos lentoſq; ſuccos diſſecare ac detergere poteſt. Contra eadem in picra aloën minus ſoluere argumento eſt, quòd eius doſis ad integram ſecundum neotericos omnes unciam accedit, quæ pulueris drachmas duas habet: Siccæ autem picræ datur ſummum drachma una, cum aquæ cyathis non magnis tribus, minimum dimidia inter utrunque pondus. Alia exhibentur dum quantitas pro ætate, corporis magnitudine, & conſuetudine euariet, ut Galenus docet ſecũdo de comp. med. κατὰ τόπους. hinc qualis parui magniq; cochlearis menſura ſit coniectari licet: etenim Galenus ſeptimo Therapeut. methodi, de picra quæ ex aloë elota & non elota conficitur, præſtantiſsimum, inquit, hoc medicamẽtum eſt, ad uitioſos ſuccos qui in tunicis uentriculi habentur. Vtiliusq; eſt eo ſicco ex aqua uti, dum paruorum cochlearium menſura, ubi mediocriter ac medio quodam modo eo uti ſtudemus: nam maximus eius modus ac abſolutiſsimus eſt duorum non utique paruorum ſed magnorum potio in aquæ temperatæ cyathis tribus, minimus unius parui. Iam in poſtremo Fuchſij paradoxo Meſues taxatur, qui ſecundo uniuerſalium, aloën ſtomacho nocere dixit, nec alia ratione à Fuchſio, ſi dijs placet, conuincitur, quàm ſola Dioſcoridis, Galeni, Oribaſij & Pauli autoritate, ſcribentium aloën ſtomacho eſſe ualde gratam. Deinde aloën iocinori non nocere contra Auicennam ſecundo canone, diuerſum ſentientem

tientem affirmat Fuchſius, quoniam Galenus (ut inquit) ad Paternianũ cum oxymellite datam aloën hepaticis magnum adiuuamentum afferre ſcribit. & Paulus libro ſeptimo doſitei catapocia iecoraria aloës unciam unam accipere ait. Plinio etiam teſte libro uigeſimoſeptimo, aloë in regio morbo utiliter bibitur. unde fieri haud poteſt, colligit Fuchſius, ut aloë iocinori nocere queat.

Aloe iuuat hepaticos

Aloë nõ nocet hepati

Refutatio paradoxi.

Verùm iſtis futilibus argutijs ſatis conſtat Fuchſium diuerſas in aloë uires non cognouiſſe: aloë nanque amaritudinis ratione ſtomacho inimica eſt, quando amarũ ipſum per ſe omnifariam infenſum ſit ſtomacho, ut probat Galenus quarto & ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus: Itaque propter purgandi uim & apertionem quam amaritatis uirtute in uenis efficit, iocinori nocere aloë poteſt, ut ex decimotertio Therapeu. methodi colligitur: ubi Galenus iubet ne miſceatur aloë ſtomaticis medicamentis in phlegmone interna, utq; Auicenna & Meſues locis citatis autumarunt. Contrà, adſtrictionis beneficio qua contrahit & cogit, non tantùm ſtomacho & hepati bene facit aloë, ſed alijs quoque uiſceribus robur adfert, quod ex pluribus Galeni locis monſtrare facilimè poſſem: ceu & Fuchſium hic iterũ eſſe hallucinatũ, dum Oribaſij librũ de ſimpl. ad Paternianum Galeno falſo adſcripſit.

Amarũ per ſe infenſum ſtomacho.

Aloë ſtomacho & hepati nocere poteſt.

Liber de ſimplicibus ad paternianũ non eſt Galeni.

Dialexis Secunda

DE RHABARBARO, ADVERSVS *tertium erratum, & quartum libri primi Paradoxum.*

Quartum Fuchſij paradoxum.

CAECVTIRE MEDICOS *aſſeuerat Fuchſius, qui Rhabarbarum noſtrum ab antiquorũ per omnia diuerſum eſſe non animaduertunt: Iſthucq; ſic perſuadere conatur:* Notæ *quibus antiquorum* Rhabarbarum *(quod rha, rheon, &* Rhacoma *uocant) deſcribitur, ab his quæ in noſtro offenduntur, ſunt omnino diuerſæ: nam rheon, teſte* Dioſcoride *libro tertio, radix eſt nigra maiori centaurio ſimilis, minor tamen & magis rubens, ſine odore, fungoſa ſeu laxa, nec ponderoſa. cui ſubſcribunt* Galenus *libro* de Simplicibus *ad* Paternianum, *&* Plinius *uigeſimoſeptimo.* Noſtrum *uerò rhabarbarum uehementiſsimum odorem habet, nullamq; cum coſto nigro ſimilitudinem gerit. Radix etiam leuis non eſt: imò quanto leuior tanto melior à* Meſue *& ab omnibus putatur. Adde quòd iſtarum quoque diuerſus eſt uſus: antiqui enim ſua ad uentris purgationem non utebantur, ſed ad pleroſq; uſus alios adhibebant, qui ex* Dioſcoride, Plinio *&* Galeno *facilè diſci poſſunt. Accedit his omnibus quòd noſtrum non à* Ponto, *ut ueterum, ſed ab extremis meridionalis* Indiæ *partibus ad nos uehitur: quæ ſingula ſatis ſuperq; declarant, noſtrum rhabarbarũ ab antiquo eſſe penitus diuerſum.* Hæc Fuchſius.

At ego

At ego longè ſecus atque Fuchſius ſentiens affirmare auſim, idem ſpecie utrunque rhabarbarum eſſe: ſiquidem notæ quibus rha ſuum Dioſcorides tertio libro depingit tantum abeſt, ut ab ijs quæ in noſtro offenduntur, ſint omnino diuerſæ, ut omnes præter odorem in noſtro deprehēdantur. noſtrũ enim rhabarbarum, radix centaurio magno ſimilis eſt, ſed minor & ruffior, fungoſa, aliquantulum leuis, & guſtatu cum remiſſa adſtrictione lenteſcit, manducataq́; colorem reddit pallidum, aut ad crocum inclinantem. Rhabarbarum ergo noſtrum (cui prædicta rhei deſcriptio quadrat) à rheo non diſſidet, uel ſolo odore diſtat, cuius ratione ſpecifica differentia recte colligi non poteſt: alioqui iris ab iride ſpecie differret. etenim illius quæ in Illyride & Macedonia naſcitur, radix odorifera eſt, ut conteſtatur Dioſcorides libro primo. Illius uerò, quæ in Thracia cæteriſq́; frigidioribus locis ac minus coctura idoneis oritur, radix odore penitus caret, ſi Theophraſto credimus ſexto de cauſ. plant. Quid? quòd Dioſcoridis rha, à Galeni rheo diuerſum eſſet, & non idem, ut Fuchſius (& hoc recte cum Manardo) opinatur: nempe rha, quod Dioſcoridi libro tertio inodorum putatur, libro quem ad Galenum autorem Fuchſius refert de Simplicibus ad Paternianum, cum leui odore eſt. Odor igitur à ueterum rhabarbaro ſpecie differre noſtrum ſufficiens nota non eſt. Itaque permulta conſimilis uirtutis ſub eadem ſpecie ſimplicia eſſe, quæ non ſolùm odore, ſed etiam natalibus differunt, apertius eſt, quàm ut oſtendendum ſit. Pira omnia adſtringere autor eſt Dioſcorides libro primo, quorum unicam ut omnium hominum, ſecundum Philoſophos, eſſe ſpeciem par eſt: & horum

Refutatio paradoxi.

Rhabarbarum noſtrũ & antiquorum idē ſpecie.

Iris odoferira & inodora.

Rheon dioſcoridis inodorum galeni uerò odorum.

Multa ſub eadem ſpecie ſunt quæ natalibus & odore differunt.

alia Europea, quædam Aſiana, & alia Aphricana ſunt. At in Europeis inq; horum Gallicis, quanta in colore, odore & ſapore diuerſitas reperitur? Et mea quidem ſententia natales in cauſa ſunt, quamobrem antiquorum Rhabarbarũ minus oleat, & noſtrum odoratum ſit. Illud enim in ſolo naſcens quod rha fluuius largius humefacit (nam in ripis eius oritur, ut Marcellus Vergilius in ſuis in Dioſcoridem commentarijs refert) multo humore imbuitur, quem calor excoquere nequit, hoc uerò in meridionali, hoc eſt regione terraq; calida & ſicca prouenit: quo fit ut eius ſiccitas terreſtritati coniuncta ui caloris in humido melius concoquatur, ob idq; euchimum odorumq; redditur.

Cur rha antiquorum ſit inodorum et noſtrũ odoriferum.

Iam meæ opinioni ſuffragabitur quòd omnes facultates quas rhacomæ adſcribit Plinius uigeſimoſeptimo naturalis hiſtoriæ, & rheo Dioſcorides libro tertio, & Galenus octauo de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus, in noſtro rhabarbaro agnouerunt Arabes, uidelicet Rhaſes uigeſimoſecundo continentis, Auicenna ſecundo canone, Auerrois quinto Collectorij, Meſues ſecundo canonum uniuerſalium, ut ex librorum collatione perſpectu facile eſt, agnoſcereq; poſſunt omnes qui ſimplicium uires, & non picturas ex colore, odore, ſapore Galenica methodo intelligunt, quam ne per nebulam quidem Fuchſius nouiſſe uidetur. Amarum eſt enim cum leui acrimonia rhabarbarum noſtrum, & guſtu adſtringens, ut ſenſu percipitur, quare amaritatis ratione aliquid à calore elaborati & ſubtiliati habet, & propter acrimoniam ſubtiles quaſdam partes igneasq; obtinet, atque ob eius laxitatem etiam aërias, adſtrictionis uerò cauſa terrei aliquid frigidiq; continere

Rhabarbarum noſtrũ & ueterũ ſimilis facultatis.

Galenica methodus ad uires ſimpliciũ intelligendũ

Rhabarbarum amarũ acre fungoſum adſtringens.

nere rhabarbarum conſentaneum eſt. Proinde iſtarum effectus qualitatum, quos Plinius, Dioſcorides & Galenus memorant, operari ualet: amaritudine enim ſua detergit, meatus expurgat, craſſa incidit. Acrimonia item craſſa & uiſcoſa fortius incidit, & ad deiectionem præparat, urinamq́; educit: adſtrictione demum ſua, quam tenue aëreum in altum perducit, haud inſtrenue adſtringit, & uiſceribus robur adfert: quapropter rhabarbarum noſtrum ab antiquorum (qui cum figura facultateq́; conuenit) in uniuerſum non differt, ut putat Fuchſius, ſed utrunque ſpecie idem eſt, ac bilioſi trahendi humoris habet facultatē, quam Dioſcoridem Galenumq́; ignoraſſe nihil apparet incommodi, quando eorum quæ à tota ſubſtantia operantur uires ſola experientia dignoſcere licet, ut ex ſexto de tuenda ſanitate, & multis Galeni locis colligitur. Illam tamen rhabarbari purgandi uim Auicennam olfeciſſe ſecundo canone, caput Rauend, per Andream Bellunenſem emendatum manifeſtat: quod eſt contra Fuchſium multosq́; Auicennianos Fuchſio longe doctiores. Illam quoque Paulus, à quo multa ſubinde Auicenna mutuatur, non neſciuit, rheoq́; utitur non ſolùm ad uentris ſanorum purgationem, ſed etiam ad prægnantium uomitum, libro primo, & ad tormina libro ſeptimo, ut quarta in Fuchſium adnotatiuncula explanauimus.

Rhabarbarum ueterū & noſtrū bilioſi humoris purgandi uim habet.

Rhabarbari purgādi uim Auicēna nouit & Paulus.

Rhei uſus ad quos effectus.

In quam obtrudit Fuchſius, Paulum inter ueteres non eſſe connumerandum: quod ſi uerum eſt (uixit enim ante quingentos annos) negligentiæ inſimulandus eſt Fuchſius, quòd nobis in ſuis erratis certo dierum aut annorum numero antiquitatem non definiuit. Sed leuitatem in rheo commendare ueteres, Meſues contra in rhabarbaro grauitatē ait Fuchſius:

Oppoſitio Fuchſij ac eius ſolutio.

Leuitatē in rheo nō commēdare ueteres.

 quod

quod falſiſsimum eſt: Rheon nanque Dioſcoridi radix parum leuis ſeu aliquantum leuis dicitur, ut patet libro tertio, nec Meſues ſecundo canonum uniuerſalium rhabarbarum optimũ leuitatem habere negat, ſed quod minus leue eſt cum raritate ſua cæteris præſtare autumat, quod Dioſcoridi uel Galeno minimè contrariatur. Quod item effutit Fuchſius nullam cum coſto nigro rhabarbarum noſtrum habere ſimilitudinem, mendacium quoque eſt, quo ſe bardo hominem ingenio prodit: ſiquidem quæcunque cum centaurio maiori conuenientiam habent, eadem cum coſto nigra ſimilitudinem gerere oportet, modò Plinij rhacoma (ut ipſemet Fuchſius poſt Manardum opinatur) quod coſto nigræ ſimile eſt, à Dioſcoridis & Galeni rheo diuerſum non ſit.

Rhabarbarũ noſtrũ cũ coſto nigra habere ſimilitudinem.

Dialexis Tertia de MANNA ADVERSVS ERRATVM *ſecundum & ſextum libri primi Paradoxum.*

Mel äëreum ſeu roris eſt manna Arabum.

Mannã Arabũ Galenus nouit.

Multa Galeni opera non extãtia Arabes legere.

MEL AEREVM AB ARAbum & *Mauritanorũ manna, nec forma, nec uiribus differre ex collectis utriſque deſcriptionibus deprehenditur. Vnde mannam nouiſſe Galenum conſtat, quòd de melle quo Iuppiter pluit, fuſius diſſerat tertio de alimentis: & forſan aliàs, ubi permiſcere cum ſcamonia, ut Meſues teſtatur ſecundo cano. uniuer. & antidotorum libro, huiuſcemodi mel docet: quanquam iſthuc documentum in Galeni libris qui extant, à nobis lectum non ſit: non eſt tamen quod falſo Galenum citaſſe Meſuen Fuchſius contendat. quandoquidem multa Galeni opera quibus caremus Arabes legiſſe ex citatis aliquot ſententijs, præcipueq́; ex Moſis Aegyptij aphoriſmis perſpicuum eſt. Itaq; ſi quis Galeni librum de libris proprijs perlegat, aliquot eius commentarios deſiderabit, ut libros demonſtrationum, qui edaci tempore ac hominum negligẽtia interierunt, aliquot colobos mutilatosq́; cognoſcet. Liber de Hippocratis Platoniſq́; placitis, ut unum ex multis nominem ἀκέφαλος eſt: & permultos inſigniter deprauatos inueniet. Prætereo quòd librum à ſe editum conflagraſſe conqueritur Galenus primo de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη.*

Oppoſitio Fuchſij.

Hic opponit Fuchſius, ea nonnunquam citare Arabes, quæ in autoribus nuſquam inueniuntur: cuius rei cauſam eſſe putat quòd plura per interpretes adiecta ſunt, quæ in Græcis exemplaribus minimè habentur.

Oppoſitionis cõfutatio

Græca exemplaria mutilata & deprauata eſſe

Sed iſthuc uerisimile non eſt: nam commẽtarijs quidpiam addere ad falſarij potius, quàm interpretis officium pertinet. Et quum Græca quæ nunc habentur exemplaria, truncata & multis referta erroribus ſint, ut docti omnes Græcolatini medici fatentur, haud mirum eſt ea citare Arabes quæ nuſquam nunc in autoribus inueniuntur. Nec ob aliud ad antiquas uerſiones (quæ de Arabibus in nos emanarunt) confugere ſæpiſſimè coguntur, qui Græcos commentarios Latio donare ſtudent: niſi quòd illæ in pleriſque omnibus ueriores quàm Græca quæ circumferuntur exemplaria, creduntur, & meritò: illa nanque ætate in qua in ſuam Arabes linguam Græca tranſtulerunt, probabile eſt ueriora exemplaria extitiſſe quàm nunc extent.

In citãdis autoribus fidos eſſe Arabes.

Itaq; in citandis autoribus parum fidos inueniri Arabes, temere (ut pleraque omnia) dicit Fuchſius: ſiquidem ex librorum Raſis, Aliabbatis atque Moſis lectione doctis omnibus ſatis conſtat illos omnem diligentiam adhibuiſſe referendis aliorum & Ariſtotelis & Galeni ſententijs.

Dioſcoridis nomen ꝓ Galeni uel Pauli poſitum in Meſue.

Scio tamen, ut obiter moneam, Dioſcoridis nomen librarij interpretis'ue culpa in ſimplicium Meſues libro pro Galeni uel Pauli ſemel & iterum poſitum eſſe, quod etiam notauit Manardus decimotertio epiſtolarum libro.

Errata in libris Arabũ plura.

Nec illud me præterit quod in Arabum monumentis ~~ſi quis emunctæ naris~~ ea tantùm uenatur quæ carpat, plurima inueniet miniatulis cæris digna, à nemine hactenus indicata, quæ (mea ſententia) promulgare ſatius

tius eſſet, quàm more Fuchſij *actum agere, id eſt, iam ab alijs doctè tractata tranſcribere: cuiuſmodi eſt,* Mannam *Arabum à* Manna Græcorum, *hoc eſt à thuris concuſsione ſeu purgamento eſſe plane diuerſam: quod poſt* Simonem Genuenſem *ſatis ſuperq; in epiſtola ad* Menochium *demonſtrauit* Leonicenus: In *quarum diſtinctione ſolus (ut arbitror)* Serapio *lapſus eſt, qui libro ſimplicium, mannam thuris ſimul cũ manna roris confudit.* Hanc *uerò roſcidum mel* Galenus *uocat, quo de* Plinius *naturalis hiſtoriæ undecimo egit. &* Galeni *tertio de alimentis hæc produntur.* Fit *in plantarum folijs neque ſuccus earum, neque fructus, neque pars ullo pacto dici poteſt, ſed eiuſdem cum rore generis eſt, non ita tamen aſsiduò nec copioſe prouenit.* Memini *aliquando in æſtate ſuper arborum herbarumq; folia mellis quàmplurimum repertum fuiſſe, ut gaudio exultantes ruſtici cantarent,* Iuppiter *melle pluit.* Præ*ceſſerat autem nox ut per æſtatem ſatis frigida, pridieq; calida & ſicca fuerat aëris conſtitutio, quam ob rem peritis naturæ interpretibus halitus è terra atque aquis prodeuntes ſolis calore exactè attenuati ac cocti à frigore ſecutæ noctis in unum coacti ac denſati fuiſſe uidebantur: ſed apud nos rarò id accidit.* In *monte autem* Libano *quotannis perſæpe, adeo ut expanſis ſuper terram uelleribus mel à concuſsis arboribus decidens excipientes, ollas ac fictilia plena referant: uocantq; id roſcidum mel, aut aëreum.* Proinde *liquet materiam ex qua mel generatur, rori congenerem eſſe.* Videtur *autem & ex plantis in quarum folijs mel colligitur, boni mali'ue quippiam poſſe acquirere.* Hactenus Galeni *uerba recenſuimus, quæ aliquot in locis breuibus ſcholijs dilucidauimus hoc pacto:*

Error Serapionis.

Mannæ roris generatio

Scholia in citata Galeni uerba breuiſſima.

Herbarumq;

Materiæ roris ſuſpenſio.

HERBARVMQVE FOLIA. *Siquidem non longè à terra ſuſpenditur uapor, ex quo ros gigni debet, ut dicit Ariſtoteles ſecundo Meteororum.*

Ros temperiem requirit.

NOX VT PER AESTATEM. *Ros enim temperiem requirit, ſecundo Meteororum. quare neque æſtate, neq; hyeme fieri ſolet, ſed magis Vere & autũno, ubi calor & frigus tẽperata ſunt. Nam uehemens calor uaporẽ roris materiã exiccaret, & digereret, frigus uerò conſtringeret & gelaret.*

Roris materia.

HALITVS E' TERRA. *Roris materia, inquit Ariſtoteles, eſt uapor paucus & denſus, & ideo grauior. Proin non longè ſurſum mouetur, & quod caloris parum habeat, in mediam uſque aëris regionem non ducitur. Efficiens cauſa ſol eſt, calore in infimam aëris regionẽ producto, prædictum uaporem è terra atque aquis eleuans. Ad hunc itaq; modum ros generatur: Vapor qui paululum de die eleuatus fuerit, ob calidi ſurſum ducentis paucitatem, temperatæ noctis frigore deorſum ducitur, atque in aquam ſoluitur, qui in aquam uerſus ros dicitur.*

Roris generatio.

Digeſtio dulcorando procedit.

SOLIS CALORE. *Solis calore attenuatur uapor nimis craſſus, & concoquitur in grummosq́; melleos per concoctionem conuertitur. Digeſtio nanque dulcorando procedit, ut loquitur Petrus hiſpanus in gloſſa libri dietarũ part. Iſaac, nec alia ratione ſanguis naturalis dulcis dicitur, niſi quia temperatè digeſtus eſt, Phen primi prima. Ros quoque dulcedinis particeps exiſtit, quando inter eius partes, aëriæ portiunculæ intercluduntur, quæ calidæ & humidæ dulcesq́; ſunt, ſed ambigitur an proxima mannæ materia ſit uapor, ut hic ſubindicare uidetur Galenus, an met ipſe ros, ut refert Aphrodiſeus ſecundo*

Sanguis dulcis.

Ros dulcedinis particeps

Mãnæ materia uapor'ne an ros ſit.

ſecundo problem. 74. de eo quod ſiccar Indi appellant.

A' FRIGORE. Ambigitur etiam de efficiente cauſa immediata, nanque Alexander non à frigore, ſed à ſolis calore rores cogente conuertenteq; ad mellis dulcedinem ſiccar ſuũ quod eſt proximum ſalis glebulis, candidum fragile fieri autumat loco nuper allegato. Siccar.

IN MONTE LIBANO. In altis tamẽ montibus ros non fit, ſi philoſopho credimus, tum quòd uapor, ex quo ros gignitur, denſus eſt, & parũ caloris habeat, unde poßit in præruptorum uerticem montiũ ſuſtolli, tum quia montiũ uertices uento agitãtur: non conſiſteret igitur uapor, unde illic ros fieret. hinc claret quòd ros non trãquillo ſeu uẽtoſo tẽpore non fit, qui etiã niſi ſereno fieri nequit: non exiſtente enim ſerenitate uapores apti eleuari nequeũt, impedientibus nubibus calorem eleuantẽ. Claret etiam quòd ſi Veris uel autumni conſtitutio pluuia nebuloſa aut uẽtoſa fuerit, mãnæ penuria neceſſariò ſubſequetur, etenim nullũ efficiens naturale poteſt, cùm materialis cauſa deeſt ſicuti omnis facultas ſi competens deſit materia otioſa eſt, ut ait Gal. ij. nat. uirt. Porrò montis Libani & antilibani ſitum deſcribit Strabo geographicorũ lib. xvj.

In altis mõtibus ros non fit.

Largioris mannæ prouentus & eiusdem penuriæ præſagium.

VIDETVR AVTEM. Idem Serapio & Meſues de manna efferunt ſimpliciũ libro, & quæ ſuper folia colligitur, atq; illis minus adhæret, perfectißima cenſetur ab hac quæ in lignum colligitur & ſupra arborum caudices, quæ uerò in terram & lapides cadit, deterior putatur. Iam ex mannæ conſiſtentia diuerſas ſpecies facit Auicenna ſecundo canone: nam quod coactum eſt, ſicut mel, manna dicitur: quod autem in granula condenſatum eſt, tereniabim uocatur.

Mãnæ roris ſpecies.

Manna.

Tereniabim

Dialexis quarta de

SIMPLICIVM MEDICAMENTOrum notione contra pluria Fuchſij errata, & ſeptimum eius paradoxum libri primi.

Simpliciū cognitio duplex.

SIMPLICIVM MEDICAMENTOrum cognitio duplex eſt, uirium ſiue facultatis, & nominis ſiue eſſentiæ, utraque medico longè utilis, ſed prior magis neceſſaria eſt, quando ex notitia ſubiecti & inſtrumentorum per quæ ſubiecto finis aduenit medicinæ ſciētia conſtat, ut Galenus refert ſecundo de criſibus, eóq; ſimplicium uires & potentias cognoſcere ſcientifica methodo per ſaporem, odorem ac colorē docet tertio & quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quem eadem identidem tractans, rectè ſecutus eſt Auicenna ſecundo canone, & Meſues in regulis uniuerſalibus, tantum abeſt ut iſti modicam ſimplicium habuerint notitiam, ut errato ſeptimo effutit Fuchſius. Simpliciū nominis aut eſſentiæ cognitio hauriri ſolet non uiua uoce (nam quæ hoc hauritur modo mihi perfectiſſima uidetur, iuxta illud Galeni, optimam eſſe doctrinā inquientis, quæ uiua uoce hauritur, primo de alimentis, & ſexto de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους) ſed picturis & deſcriptionibus, apud uel Theophraſtū, Pliniū, Dioſcoridem, Apuleium, Serapionem, uel reliquos medicinæ doctores repertis, quæ non ex genere & differentia eſſentiali aut proprio, ſed ex genere

Simpliciū facultatum cognitionē ſciētificā habuere Auicenna & Meſues.

Eſſentiæ ſimpliciū cognitio bifariam hauritur.

nere & accidentibus quæ adeſſe abeſſeq́; poſſunt præter ſubiecti corruptionem componuntur: quocirca ab his ducta argumenta non admodum ſunt efficacia, ex quo ſimplicium medicamentorum figuras non depinxiſſe Galenum reor. Itaq́; talium picturas effigiesq́; fallaces eſſe ſcienter adſtruit Plinius libro naturalis hiſto. uigeſimoquinto. Illæ ſiquidem tum propter cœli uarietatẽ, & quadripartitas anni uarietates & ſingulas earum ætates, tum propter ſolum ſubinde mutãtur, quibus commutatis natiuæ eorum facultates non ſemper uariantur, ut ſuprà de rhabarbaro iam habeo dictum: ſicuti corruptis ſimplicium facultatibus aliquando eorum effigies durant, ut de perſica planta in Aegyptum tranſlata colligitur. Vnde liquidò apparet quòd rationes à ſimplicium medicamentorum picturis ductæ, quibus aduerſus recentiores medicos in multis erratis & paradoxis uellicat Fuchſius, non adeò ualidæ ſunt, ut inde ſperare τὸ βραβεῖον debuerit.

Simpliciũ deſcriptiones ex genere et accidentibus componũtur. Galenus cur ſimplicia nõ pinxerit. Simpliciũ effigies propter multa mutantur. Simplicium formis mutatis nõ ſemper eorum uires mutãtur. Aliquando corruptis ſimpliciũ uiribus eorum formæ perſtant.

Iſte nihilominus dialectices imperitiam nobis, ſi dijs placet, iterum ac ſæpius exprobrans ſic baubatur: Ignorat Montuus quòd non omnia accidentia adeſſe uel abeſſe poſſunt, ſed ſunt quædam quæ ſæpe ita hærent in ſubſtantijs, ut re ipſa nunquam ſeparentur, quæ à dialecticis natiua dicuntur, quòd natura ſubiecto inſunt, ut calor igni, durities lapidi, radicis caulis foliorum florumq́; formæ herbis: & quum huiuſmodi accidentia ſubſtantias alioqui nobis ignotas euidenter admodum oſtendant, plurimùm certè momenti habebit definiendi forma ex genere & accidentibus collecta.

Argumẽta à ſimpliciũ deſcriptionibus collecta fallacia ſunt. Obiectio Fuchſij.

Ad hanc obiectionem ſic reſpondemus: Si accidens eſt quod adeſt & abeſt citra ſubiecti corruptionem, ut libro

Obiectionis ſolutio.

Accidẽtis ſolutio. Prædicabilium deſcribit Porphyrius, uel quod contingit eidem ineſſe uel non ineſſe, ut primo topicorum, finit Ariſto teles, ignorare me fateor cum Ariſtotele & Porphyrio non omnia accidẽtia ſubiecto adeſſe uel abeſſe poſſe: nã quæ inſeparabilia à Porphyrio appellantur, quæ haud doctè natiua Fuchſius uocat (quoniam natiuorum accidentium ſeparabilia plurima ſunt) ſubiecto non ineſſe, ut difficile, non item impoſſibile eſt: re enim ipſa intelligentiáue à ſubiacentia diuelli poſſunt, ut à cygno albedo, & à coruo atque Aethiope nigredo. Aethiops qui eſt à pedibus illuſtriſſimi Tuletæ principis albicare iamdudum incœpit, uel reclamante parœmia, albusq́; coruus uiſus eſt, ut teſtatur quinto de gener. animalium Ariſtoteles, & qua fieri albus poßit, artem quodam loco magnus docet Albertus. Sed fac inſeparabilia à ſubiecto accidentia, nec re ipſa nec cogitatione diſtrahi poſſe, adhuc tamen ex illis quæ aſſumuntur argumenta haud perpetuò erunt efficacia, ut Fuchſius chriſippea ſcilicet Dialectica doctus credit. Quandoquidem quòd alba auis aut nigra eſt, olor aut coruus non ſemper exiſtit. In plantis etiam conſimilis figuræ pluria ſunt ſpecie nihilominus diſcrepantia, quod cùm in multis palàm eſt, tum in iberide herba pateſcit, quam naſturtij folia habere ſcribit libro primo Dioſcorides, hancq́; cardaminem appellare exiſtimat Aetius ſermone duodecimo, quoniam odorem & ſaporem ac figurã cardami, hoc eſt naſturtij, habet. Hinc rurſus euidentiſſimum fit, non ſemper ualidas fore argumentationes à ſimplicium medicaminum effigiebus ſumptas, ut imperitè nimis contendit Fuchſius. Haud enim ſequitur, hæc herba, demonſtrata Iberide, naſturtij figuram habet: naſturtium igitur

Accidẽtia inſeparabilia perperã natiua Fuchſius uocat.

Accidentia inſeparabilia à ſubiecto diſtrahi poſſunt.

Aethiops albicans.

Coruus albus.

Argumenta ab accidentibus inſeparabilibus ducta non ſemper ualida.

In plãtis plurima ſunt ſimilis figuræ ſpecie tamen differentia.

Iberis herba

igitur eſt. Nec herbis plãtisq́; omnibus inſeparabiliter omnia inſunt accidentia, quibus earum effigies à Dioſcoride depicta eſt, ut temere putat Fuchſius. Enimuerò cœli ſoliq́; ratione per quæ atque ex quibus alimenta omnibus ſuppeditantur (ut ait Theophraſtus ſecundo de cauſis plantarum) non in magnitudine ſolùm, ſed in figura etiam plantæ immutari ſolent, ſicuti de apio cernere eſt, quod ſpeciem ſuam mutare adſtruit Theophraſtus quinto de cauſis plantarum. His uerbis figuram ſuam apium mutat ſi ſatum conculcetur, cylindroq́; ſuperinuo luto coërceatur: fit etenim criſpum, quoniam in incrementum tranſire facilè nequeat, & uaſis quoque, in quo poſitum fuerit, ſpeciem imitatur: quod propterea euenit, quia nutrimentum cùm prohibetur arceturq́; à uaſe circumueniente fertur ad id quod aduocet, libertatemq́; permeãdi concedit: fit enim ueluti riuuli cuiuſdam diductio, itaque ſpeciem uaſis ambientis capeſsit. Euenit hoc idem quodam modo & generi animalium in magnitudine, paruitate, breuitate & longitudine: quippe illa formata iam ſunt, hæc uerò quum generentur, formam recipiunt. hactenus Theophraſtus. Ex cuius ſententia & alijs iam præfatis apertum eſt, quòd ſub eadem ſpecie complures diuerſarum figurarum plantæ exiſtunt, quodq́; figuræ quam ſibi peculiariter conſociat unaquaque ſubſtantialium formarum ſpecies adeò magna latitudo habetur, ut uniuerſam nullus herbarum ſcriptor literis comprehendere atque exprimere potuerit, quapropter plura unius ſpeciei genera ſtatuere coacti ſunt, ut pyrorum, rhabarbari, braſsicæ, lactucæ, & ſimiliũ. Proinde fallaces herbarũ deſcriptiones eſſe credere par eſt: quod Plin. præcitato loco (quidquid contra garriat Fuchſius) euidenter

Accidẽtia ꝑ quæ plantæ deſcribuntur non oĩa ſunt inſeparabilia.

Apium formam ſuã mutat.

Sub eadẽ ſpecie cõplures diuerſarũ figurarũ plantæ reperiuntur.

Figuræ latitudo formæ ſubſtantialis uniuerſa literis explicari nequit.

Plura unius ſpeciei genera.

euidenter indicat: hoc etiam nomine earundem figuras non depinxiſſe Galenum (qui rem medicam docta ſemper methodo tractauit) in ſuperiori adnotatiuncula me opinari dicebam: Cui dicto Galenus, ut Fuchſius imaginatur, haud controuerſus eſt ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, dum ait, Abrotani ſpeciem formam'ue ſcribere poſt tot tantosq; uiros non oportet: ſed his uerbis uetamur, ne nobis alienæ induſtriæ laudem uindicemus, quod non inſolēs ἀνταγωνιστὴς *noſter inanis glorio læ ſitientiſſimus facit.*

Dialexis quinta de

INERTI, QVA PASSIM VTI *Fuchſius ſolet, argumentatione aduerſus erratum eius quartum, & uigeſimumnonum libri primi Paradoxum.*

QVARTO SVI ERRATO *Fuchſius illud medicamen quod ſanguinis draconis in pharmacopolijs nominatur ſideritidis herbæ ſuccum non eſſe, contra Serapionem libro Simplicium, & Auicennam ſecundo canonũ, ſequentes, ex eo probat quòd Dioſcorides libro quarto de ſideritide herba omnibusq́; eius generibus pleniſsime ſcribens, ex nulla eiuſdem ſpecie talem exprimi ſuccum edocuit, quo medici pariter atque pictores ad ſuum utrique opus uterentur: quod tamen, ſi uerum fuiſſet, nullo, inquit, pacto ſilentio præterijſſet.*

Hanc ego irritam argumentandi formulam ὀβελισκοις *notaui in deſtinatis ad Campegium adnotatiunculis, ſed breuibus, ut res ipſa poſtulabat.* ~~*Nam argumentum à cuiuſlibet autoritate negatiuè ductum, inualidum eſſe notius eſt,*~~ *quàm ut multis ſit recenſendum, argumentationesq́; omnes quæ à iudicijs ſumuntur, eſſe inartificiales exiſtimat Ariſtoteles primo Rhetoricorum, & primo Topicorũ.* ~~*Locus ab autoritate, inquit, extrinſecus eſt non multam faciens fidem.*~~

Argumentũ à teſtimonijs ſumptũ negatiuè inualidum.

Quod

Dioſcoridis teſtimoniũ.

Quod autem ad Dioſcoridis teſtimonium priuatius attinet, illud eludere Galenus interdum uidetur, ut de Lemnia terra conſpectè pateſcit ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, & quinto eius nominis libro, nunquid imperitiã his taxat uerbis? peccat ſane Dioſcorides nonnunquam aperiendi inquiens facultatis medicamentũ quod laxat aut emollit, aut humectat, aut phlegmonem ſoluit. & commentario libri de natura humana Hippocratis libros deprauaſſe, undecimoq́; de ſimplicium medicamentorum facultatibus ſignificata Græcarum uocum non ſatis nouiſſe Dioſcoridem pronuntiat eundemq́; de prunis damaſcenis & coriandro libro ſeptimo, de adſtringendi cineris facultate octauo, deq́; balſami qualitate, tacito licet nomine, ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus reprehendit, eundem quoque temperamentorum & facultatum ordines, qui in medicamentis ſunt, neglexiſſe refert quarto de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη, atque ſemel & iterum duntaxat, quantum legendo cognouimus, tribusq́; uerbis Galenus Dioſcoridem laudat, loco nouiſsimè allato, illum dicens omnium perfectiſsimè tractatũ de materia medicamentorum confeciſſe. Item primo de antidotis, de eo hunc in modum exarat: Traditum eſt abundè de tota medicinali materie quinque Dioſcoridis libris, à quo præter alia etiam olfactus guſtatusq́; qualitates quibus potiſsimùm probatiora medicamenta à deterioribus cognoſcuntur diſcernunturq́; licet tibi condiſcere. In nonnullis etiam uiſorias qualitates non parum conferre reperies: ſed mihi in præſenti opere inſtitutum eſt, non quæ ab alijs rectè tradita ſunt huc transferre, ſed quæ deſiderantur, manifeſto interpretari.

Dioſcorides à Galeno in pluribus notatus.

Dioſcorides bis à Galeno laudatus.

Hæc

Hæc Galenus. Contra, Fuchſius nihil aliud ineptis ſuis libellis ſtuduit, quàm ut quæ ab alijs tradita ſunt, inſectaretur, uel ut ſua referret. Itaq; ſanguinem draconis non eſſe ſideritidis herbæ ſuccum, ſed potius metallum, quod uniuerſum cum Dioſcoridis cinnabare conuenit ex Leoniceni ad Politianum epiſtola excerpſit.

Fuchſij ſtudium.

Præterea nos hoc loci obgannire modeſtus conuiciator dicit, & noſtram in Dialecticis ignorantiam prodere uolens, ita acutè ſcilicet, argumentatur: Quis eſt qui neſciat argumentum ab autoritate etiam negatiuè ductum, ualere interdum? ueluti cùm in ſacris diſputamus, ubi omnia à ſcripturæ autoritate pendent, ut cùm hodie cum impijs ſophiſticis nobis incumbit digladiatio de iuſtificatione, mox ad ſcripturæ autoritatem confugiendum erit, ac ſtrenuè pronuntiandum ſola nos fide iuſtificari, hoc eſt, ſolius miſericordiæ propter Chriſtum fiducia nos iuſtos coram Deo reputari, & minime propter noſtra opera. Cuius rei locuples teſtis eſt diuus Paulus in epiſtola ad Rhomanos, capite tertio, ita ſcribens: Iuſtitia uerò Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes eos qui credunt. & paulò poſt: Arbitramur igitur fide iuſtificari hominem abſq; operibus legis. Hinc cùm ſcriptura iuſtificationem fidei acceptam fert, probè argumentum ab autoritate eiuſdem negatiuè ductum ualebit, ſi in hunc modum quis colligat: Sacra ſcriptura iuſtificationem operibus non tribuit, ergo opera non iuſtificant. Pari ratione & in alijs quibuſdam diſciplinis argumentum ab autoritate negatiuè ductum non ſemper irritum exiſtit.

Oppoſitio Fuchſij non modò indocta, ſed & hæretica.

Ex his conijcere licet Fuchſium θεολογώτατον eſſe, &

Oppoſitionis eluſio & confutatio.

ſuam ex theologicis chartis Dialecticen didiciſſe, non item ab Ariſtotele aut Boëtio: Non eſt ergo quòd poſthac ſe timeat parũ in Dialecticis eruditum uideri: ſed interim infœlix dũ ſacra prophanis miſcet, eademq; indoctius tractat, in hæreſeos prauitatis crimen incurrit, ne uerum non ſit quod ille ait:

In uitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

Meritóq; poſſet iuxta prouerbiũ canere κάπνον γεφεύγωμ εἰς τὸ πῦρ περιέπεσμον. hoc eſt, Dũ uito fumũ, flammã in ipſam decidi. Flamma etiam uniuerſos paradoxorum errores publicè per carnificem expiare fecit Morinus theologus, doctor Pariſienſis, publicus hæreticorum cenſor, ut nuper ad me ex Lugduno ſcripſit ille trilinguis & uniuerſæ philoſophiæ theologiæq; cõſultiſsimus Santes Pagninus, amicus noſter, ſimulq; miſit breuiſsimam apologiam nobiliſsimo domino Carolo à ſtagno nuncupatã, in qua Michael Villanouanus ingenij plurimùm ualens acrimonia, & bonis artibus inſtructus, præſentem Fuchſij ſyllogen impietatis arguit, theologiceq; exploſit in hunc modum:

Si hoc diſputandi genus, quod calumnijs eſt potius quàm eruditione refertum, uiri cuiuſque grauis iudicio damnandum cenſes, nobiliſs. Carole, mittendum ſcio, dices, eſſe Fuchſium, ut ſua feritate ac petulantia agreſtes Scythas & feros Trachas expugnet, cæterùm quum Theſſalus iſte non modò peritos ferè omnes medicos conuicijs inſectetur, ſed & eccleſiã catholicam impiè proſcindat, non potui mihi tẽperare καίπερ ἐμ ἀλλοτρίω χορῷ πόδα τιθεὶς, quin & pro eccleſia, ut pro matre filius, & pro Symphoriano Campegio, cui ut diſcipulus multa debeo, aliquid ſcriberem: nam ei ſuccenſet Fuchſius,

quia

quia Sebaſtiani Montui ſtudium commendat. Sed quodnam, obſecro, crimen eſt, ſi eruendæ ueritatis gratia, eius conatum laudem, qui à me ipſo diſsideat? ea certè eſt Campegij modeſtia. Sed Fuchſius auſterus homo id ægrè fert. Tales hæc ætas producit nouos euãgeliſtas, ut nihil minus ſapiant, quàm Chriſtianam manſuetudinem. Sed de eccleſia loquentem Fuchſium audiamus, qui in epiſtola procœmiali paradoxorum ſuorum ſic ait: Hoc quoq; nomine ne Papiſtis quidem, hominibus uentri tantummodo deditis, concionandi locum eſſe permittis, quòd unum hoc coneris, ut apud tuos paſsim Chriſtus purè annũtietur. *Hæc ille. Alia etiã in ipſo operis progeſſu interſerit, non minus erronea, quàm ſcelerata, & Paulum apoſtolum impertinenter citat, ut poſsit Montuũ calumniari. Sed non eſt quòd pro Montuo defenſionem ſumã, quum ipſe propediem, quæ in Fuchſium ſcribit, ſit in lucem daturus, quibus impudens hominis iactantia facilè detegetur. Sic enim ſibi triumphum adſcribit, & uiciſſe contendit, ut inſtar temerarij equitis, dum magno impetu adſcenſum in equum molitur, in alteram partem præceps ruat. Nec id ſibi ſat eſſe putat, niſi & hæreticum ſe eſſe prodat, & alios in hæreſin abducere conetur. Vnde operæ pretium me facturum putaui, ſi antequam duos Campegij locos à Fuchſio male notatos attingam, de fide & operibus aliquid diſſeram, ne imbecillus aliquis, Fuchſij errore ſeducatur. Reliquum eſt, humaniſsime Carole, ut hoc quicquid eſt noſtræ ſupellectilis obuijs manibus & hilari fronte ſuſcipias, & à Fuchſij uenenatis dentibus eccleſiam noſtram, & clientes tuos Montuum & Campegium ſtrenuè defendas. Vale mecœnas optime.*

Orbem ferè totum Chriſtianum *concutit quæſtio, meo iudicio facilis, de fide & operibus, qualiter ad uitam æternam utraque conducant.* Nam Lutherani *operibus nec quicquam tribuere uolunt, quorum argumenta refellere & errorem detegere non erit arduum: quia iuſtificationis uim non ſatis intelligunt, demus eis quòd credenti alicui in* Chriſtum *dicat ipſe ſaluator,* Fides *tua te ſaluum fecit,* Vade *in pace.* Iſte *certè ſola fide iuſtificatus eſt ſine operibus, ſicut* Abraham Ro*ma. quarto, nam aditus ad* Euangelium Chriſti *uel ad* Chriſtianiſmum *ipſum nulla opera ad iuſtitiam requiſita præſuppo*nit. *Sed eſt ad* Chriſtum *acceſſus per oſtium fidei, & non per circũciſionem, & iuſtificari aliud nihil eſt quàm ex impio fieri acceptum* Deo, *&* Chriſti *militiæ adſcribi, quod per fidem, & non per* Legis *aliqua opera fieri docet ſtrenue* Paulus *contra* Iudæos. An *propterea opera quæ hanc fidem in* Chriſtiano *iuſtificato conſequentur erunt inutilia?* Abſit. Quid *eſt quòd* Chriſtus *mercedem pro ieiunio promittit?* Pa*trem etiam aſſerit redditurum mercedem in propatulo pro eleemoſyna quæ fit in occulto,* Matthæi *ſexto, & pro diligendo inimicos præmium habebimus maius quàm pro diligendo amicos,* Matthæi *quinto, &* Lucæ *ſexto.* Plus *etiam diligenti plus condonabitur,* Lucæ *ſeptimo.* Et *uocanti pauperes ad menſam retribuetur pro eo opere merces in reſurrectione iuſtorum,* Lucæ *decimoquarto. quin & pro dando potum aquæ frigidæ certam mercedem* Chriſtus *ipſe pollicitus eſt,* Matthæi *decimo.* Putant Lutherani *omnibus iuſtificatis fore æqualem gloriam, & reprobis æquales pœnas, quia ob nulla facinora homines damnari adſtruunt, ſed ob ſolum fidei defe-*

ctum

ctum: quo ſit ut Iudas ob maius peccatum non grauius puniatur quàm quiuis alius infidelis. Ecce qualiter ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, τὰ ἄλλα συμβαίνει. Sed quid hæc commemoro, quum ſacris literis expreſſe conſtet futurum, ut unus in regno cœlorum alterum præcedat? Et quibuſdam tolerabilius erit in die iudicij quàm alijs, & quidam erunt filij gehennæ duplo plus quàm alij, & duplo grauius accipient iudicium & damnationem maiorem ob mala opera, Matthæi uigeſimotertio, Marci duodecimo. alij quoque multis plagis uapulabunt, alij paucis, iuxta delicti modū, Lucæ duodecimo. Et ſicut ſtella à ſtella differt in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum, primæ Corinthiorum decimoquinto, nec id ſolùm ob fidem, ſed quia opera illorum ſequuntur illos, & quia iudicabitur de ſingulis ſecundum opera ipſorum, Apocalypſis decimoquarto & uigeſimo. Item Apocalypſis decimooctauo, duplicate duplicia ſecundum opera eius, & quantum glorificauit ſe in delicijs, tantum date illi tormentum. Heccine eſt iuſtitia quæ uenit ab Aquilone, ut Iudæ grauius delinquenti non maior pœna infligatur? Non'ne de omni uerbo otioſo reddenda eſt ratio in die iudicij, Matthæi duodecimo? Quorſum ergo attinet tam altum de dictis & factis ſcrutinium uſque ad ultimum quadrantem, ſi opera nihil ad gloriæ uel pœnæ faciant augmētum? Supremus quidem ille Iudex in ultimo iudicio iuxta cuiuſque opera uel facta ei pœnas uel præmia rependet: ſic enim ait Matthæi decimoſexto, Filius hominis uenturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet unicuiq; iuxta facta ipſius. Super recitatione factorum etiam ſententiam feret, dicens: Eſuriui, & dediſtis, uel non dediſtis mihi manducare &c. Matthæi

uigeſimoquinto. Nec ad rem facit quòd fidem ſuam dicant Lutherani nunquam eſſe otioſam: nam hoc ut falſum eſt ſi ἐκ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον quis diiudicat, ita non tollit mercedis rationem, nec futuram in die iudicij pro bonis operibus retributionem, quā Lutherani, ſi ſanum haberēt iudicium, facilè admitterent: cùm & Chriſtianus fide iuſtificatus, per opera iuſtificatur adhuc, teſte Iacobo. Et per opera augeri incrementa frugum iuſtitiæ noſtræ teſtatur Paulus, ſecundæ Corinth. nono: & per opera conſequentia firmior efficitur electio, uocatio & iuſtificatio noſtra, ſecundæ Petri primo. Si philoſophus quidē eſſet Fuchſius (nam theologum conſtat non eſſe) poſſet ſaltem hanc hæreſin improbare eo modo quo Ariſtoteles probat in operatione ſecundum uirtutem conſiſtere fœlicitatem, & in habitu uirtutis non poſſe conſiſtere, ſi uirtutem habens longo tempore dormiat, aut ab opere uacet: quod & in Lutheranam fidem habente accidere poſſe ſatis apparet, quantumuis ex habitū producantur actus, & ex fide opera: oportet enim nouum ad operandum adhibere conatum ultra omnem habitus & fidei impulſum. Nam cauſa principaliter actiua eſt forma ſubſtantialis, ſeu ipſa hominis uoluntas, & fides & habitus ſunt inſtrumēta. Aliquem itaq; operationum ipſarum ad fœlicitatem haberi reſpectum decet, quem ſcriptura tanti facit, quum etiam ſi opera ipſa non conſequantur, emoriatur fides, Iacobo teſte, ſicut deficientibus actibus refrigeſcit habitus, ſecundum philoſophos.

Dialexis Sexta ſu

PER HARMEL ET CICVTA, AD-
uerſus erratum octauum, & paradoxum libri primi ſextūmdecimum.

HARMEL ESSE CICVTAM *uel herbam ſpecie facultateq́; cicutæ ſimilem tradit* Conciliator *differētia centeſimaquinquageſima, & forſan uerum eſt, ſaltē otioſum non eſt quod in* Pandectis *ait* Matthæus Syluaticus, *harmel apud* Arabes *ſcriptum cum aſpiratione cicutam, cùm uerò ſine aſpiratione, rutam ſylueſtrem ſignificare: ex hac enim diſtinctione doctorum concordia fieri poteſt.* Nec me *latet tamen quòd harmala* Dioſcoridi *libro tertio, ſimiliter & beſaſa* Alexandro Tralliano *ſecundo praxeos, ruta ſylueſtris eſt, de cuius etiam ſemine utraque uox, uidelicet beſaſa, & harmala effertur, nono de compo. medic.* κατὰ τόπους. Nec *pernicioſiſſime errant, ut* Leoniceno *(quem æmulatur* Fuchſius) *uiſum eſt in epiſtola ad* Politianum, *qui in pilularum de hermodactylis ac fœtidarum confectionem cicutæ ſemen admittunt, quandoquidem non ſolùm pilulis, ſed uarijs etiam medicamentorum formulis quæ deuorantur, ueluti de cocto & paſtilis cicutā miſceri iubet* Galenus, *cum alibi tum ſecundo & decimo de compoſitione medicamentorū* κατὰ τόπους, *&* Alexander *tertio praxeos, atque* Aegineta *tertio medic.* libro

Harmala & beſaſa ruta ſylueſtris uel ſemen eius Græcis eſt.

Cicuta deuoranda & potāda ſalubriter quādoq; datur.

libro. Hanc etiam potandam uice papaueris dat Aetius ſermone undecimo. Proinde aberrat Fuchſius dum neminem ueterũ inquit cicuta aliter uſum eſſe, quàm quòd extrinſecus eam appoſuerint: ex quo ſatis liquet illum in medicorũ libris diu non eſſe uerſatum. Iure ergo illius iudicia ualde temeraria à doctis omnibus creduntur.

Fuchſius in libris medicorũ non diu uerſatus.

Cicuta nõ omnis frigida

Iam non omnis cicuta, ut opinatur Fuchſius, frigida & humida letalisq; eſt, ſed quædã utpote terreſtris, calida & ſicca exiſtit, ut non ſolùm Auerrois, Conſtantini Plateariјq́; teſtimonio, ſed & odore ac ſapore (quibus etiam color perpetuò uiridis accedit) probat Petrus Aponius, differentia præcitata, cui ſuffragatur Celſus libro quinto, cicutæ ſemen inter medicamina quæ rodunt numerans. Hanc etiam intra corpus ſalubriter adhibere monſtrant inter Neotericos duo ſpectatiſsimi doctores Salicetus atque Bertucius, in ſuis de moribus curandis tractatibus, quos Fuchſius fortaſſe ut ferè ſolet omnes à ſe diſſentientes uituperabit: quo utique nomine in conciliatorem ipſum hoc loco contumelioſus eſt (μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει.) Inaniq; opera huius autoritatem conuiciando imminuere ſubinde conatur in ſuis Paradoxis: hoc eſt, cæcis inſomniјs, conſtat enim in minima conciliatoris differentia plus ſolidæ bonæq; eruditionis quàm in centum hominũ chiliadibus Fuchſio doctrina parium contineri.

Fuchſius in Conciliatorẽ contumelioſus.

Dialexis ſeptima de

VI QVA HVMOREM PVRGATO *ria medicina trahit, aduerſus erratum & paradoxum Fuchſij quadrageſimum primum libri primi.*

ERROR EST ASSERERE *purgatorium medicamentum attractis humoribus non eſſe ſimile, atque adeo hallucinatur Meſue, id non ideo certum purgare humorem, quia ſit huic ſimile contendens. Hæc Fuchſius: quæ ex primo epiſtolarum libro uiri undecunque doctiſsimi Ioannis Manardi mutuatus eſt. At defenſus ab hac calumnia Meſues, ni fallor, fuit ſequenti annotatiuncula:*

Si ſimilitudo cauſa eſſet quare purgatorium medicamentum humorẽ traheret, ferrum, ut inquit Auicẽna quarta phen primi, certè ferrum attraheret, quando illi dominaretur, & aurum itidem aurum traheret ubi ſua quantitate illi præualeret. Idcirco ſolutiuum medicamen humorem non attraheret, quòd ſit humori ſimile ſecũdum manifeſtas ſcilicet qualitates uerißimè tradit Meſues in primo canonum uniuerſalium, nec ab Hippocrate libro de natura humana, aut Galeno tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, de occultæ qualitatis (quam uocant proprietatem) ſimilitudine loquentibus diſſentit. Galenus enim cum aliàs, tum quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus libro, palàm confitetur pur-

Meſues ab Hippocrate aut Galeno nõ diſſentit.

Purgãtia omnia occulta proprietate trahũt.

gãtia omnia medicamina qualitatis familiaritate: id autem eſt totius eſſentiæ ſimilitudine attrahere, ceu quæ nutriuntur familiaria nutrimenta attrahunt. Id quod Paulus Aegineta libro ſeptimo corroborat, ita ſcribens: Sciendum quòd pharmaca purgandi facultate prædita, non ſimplici quadam temperatura, uerbi cauſa, caliditate euacuant: oporteret alioquin cuncta calidi temperamenti euacuandi uim obtinere, ueluti piper: ſed inſita quadam totius eſſentiæ proprietate, quemadmodum Magnites lapis ferrum ad ſe trahit. Huic ſententiæ manifeſtiſsimè aſtipulatur Meſues præallato loco, his uerbis: Medicina laxatiua non eſt ſic, quia ſimile attractiuum huius uel eradicatiuum, ſed quia tale, hoc eſt, medicina laxatiua non trahit talem humorem, quia ſit ſimilis humori, ſed quia genuinã trahendi humorem proprietatẽ habeat. Idem quoq; innuit, licet ſubobſcurè, Auicenna quarta primi phen, Solutiuũ, inquiens, medicamen ſoluit ui tractiua qua ipſummet humorem trahit: & fortaſſe trahit craſſum humorem, & tenuem relinquit, ut quod atram bilem ſoluit facere ſolet. In ſumma, purgans humorem medicina, illum non trahit uacui aut caloris aut alterius manifeſtæ qualitatis cauſa, ergo proprietatis ratione trahit.

Omnis actio fit à contrario.

Adde quòd omnis actio fit à contrario, ut declarat Ariſtoteles primo de gener. et cor. humoris autem attractio à ſolutiua medicina actio eſt: tenaciſsimi enim humores à medicamine per uim ducuntur, tertio de temp. Huiuſmodi igitur attractio à contrario fit, ac conſequenter à diſsimili. Ex his pateſcit Fuchſium per calumniam taxaſſe Meſuen, aut illum falli à ſimilitudinis uoce ſeu homonymia, quæ, ut ſcitè Galenus docet primo Therapeuticæ metho. parit cauillationes. Ideoq; prius

Homonymia diuidenda.

in certas

in certas ſignificationes diuidenda erat, ſi Galeno tertio de ſimplicium medicamẽtorum facultatibus, aut Ariſtotelicis cre dimus in elenchis.

Irritus Fuchſij conatus.

Hanc uerò annotatiunculam Fuchſius ut maximis conatibus ſperauit euertere, ita operam oleumq; perdidit: argumenta nanque noſtra, quæ illi obiecimus, ſic ſoluit, ut plenam adhuc integritatem ſeruent, nihilominus ἐπὶ τοῖς ὅπλοις ἀκκίζεται, (adeò indelebile uitium uehemens ignorãtia eſt, ut Galenus ait, præſertim ſi cũ ſuperbia ſit coniuncta) ~~bullatiſq; nugis turgens ſe~~ ita Galenum callere adſtruit, ut mihi in eo probè tractando præceptorem eſſe non detractaret.

Arrogantia Fuchſij.

Næ ego κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν eſſe non cupiam Galenumq; iſte craſſa ruſticitate ferocului ἀνίπτοις χερσὶν tractare & conſpurcare non item intelligere ſolet, ut pridẽ adnotatiunculis noſtris obiter conſpicuum fecimus.

Oppoſitio Fuchſij.

Iam expendamus primum argumentum noſtrum, quod ex Galeni textu tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, à nobis allegato, confutare nititur Fuchſius, dicens, ad Montui rationem non ſequitur quòd ferrum traheret ferrum, quia ferrum non tantùm ſimile, ſed & idem ferro eſt.

Oppoſitionis refutatio.

Ω theneidum patronum. Si ferrum ferro ſimile eſt, quod inficiari non poteſt Fuchſius, ferrũ ſimilitudinis nomine certè ferrum traheret, quando illi dominaretur, uti argumentatur Auicenna. Nec identitas ſpecifica attractionem impedire ualet, ceu de colyri uirga ſecundum longitudinem inciſa colliqueſcit, cuius una pars alteram cominus poſitam trahere fertur: Itaq; ferrũ ut ſimile, ita diuerſum ferro eſt: ſimilitudo eſt enim differentium rerum eadem qualitas, ut definitur libro

Colyri uirga.

Similitudo quid.

Prædicamentorum, quam rem Fuchſius, ut eſt dialectices rudis, haudquaquã nouiſſe uidetur, et adeò ringitur quòd Hippocrati & Galeno Meſuen non diſſentire ſcripſerim, eosq́; conciliare tentauerim ut mẽtiri me iampridem canũ pro ſolita ſua impudentia iuuenis ferat: ex quo nec moralem philoſophiam deguſtaſſe, nec medicinæ ſcientiam didiciſſe deprehenditur: ſacræ etenim res ſacris hominibus oſtenduntur, prauis autem nequaquam, ut inquit Hippocrates libro de lege.

Dialectices rudis Fuchſius. Impudentia Fuchſij. Philoſophiæ moralis neſcius Fuchſius.

Huc accedit quòd in phyſica diſciplina quæ medico neceſſaria eſt (ut pluribus in locis teſtatur Galenus poſt Ariſtotelem libro de ſenſu & ſenſato) eſt adeò imperitus, ut actionem à contrario fieri deneget. Nosq́; eſſe abuſos Ariſtotelis teſtimonio audẽter pronũtiet. Nam ex eo, inquit, colligere liceret, nullam inter id quod nutritur & alimentum ipſum eſſe ſimilitudinem: quod omnium falſißimum eſt, quemadmodum ex tertio de temp. Galeni liquet.

Phyſicæ ignarus Fuchſius. Obiectio altera Fuchſij

Talis eſt Fuchſij oppoſitio, in cuius refutatione omnem actionem à contrario fieri, nosq́; & fideliter & appoſitè Ariſtotelem citaſſe oſtendam. Vnde uel cæco apparebit inſignis Fuchſij ignorantia, mendacium & nequitia. Sed iam propoſitum exequamur. Faciens agere uidetur, ſecundum Ariſtotelem primo de generatione & corruptione, ut ſimilem in paſſo qualitatem inducat qualem in ſe habet. Proin agens ſecundum qualitatem paſſum tranſmutat, & omnis tranſmutatio eſt in contrarium. Igitur faciens paſſum in ſuum contrarium tranſmutat, & cùm paſſum in ſuum contrarium tranſmutatum fuerit, iam paſſum aßimilatum eſt agenti, cui ante tranſmutationem erat contrarium, tumq́; ab agente non amplius patitur.

Obiectionis dilutio. Quòd oĩs actio à cõtrario fiat ex Ariſtotele.

Omniſa

Omnifariam enim ſimile à ſuo omnino ſimili pati irrationabile eſt: quia non eſt cur unum potius agat & alterum patiatur, nec alia quàm contrarietatis ratione philoſophus loco citato, quæcunque agunt & patiuntur, talia eſſe debere docet, ut ſint quodã modo ſimilia, & quodam modo diſsimilia: nam quæcunque, inquit, innata ſunt agere & pati adinuicem, aut ſunt contraria, aut contrarietatem habentia: debent igitur genere eſſe ſimilia, ſunt enim contraria in eodem genere, & ſpecie diſsimilia. Nam contraria ſpecie ſunt diſſidentia. An non ualde perſpicue iſta uerborũ ſerie docet Ariſtoteles omnem actionem à contrario fieri? Non diſpariliter, quoniam nutritum in alimentum agit, nutrito contrarium eſſe alimentum oportet, ut etiam probant Ariſtoteles (quem per ſacra numina Phœbi deierare auſim ne pictum quidem Fuchſium uidiſſe) Themiſtius & Auerrois ſecundo de anima: quod enim ab altero corrumpitur, ei contrarium eſt à quo corrumpitur. Atqui alimentum dum in nutriti ſubſtantiam conuertitur, à nutrito non modò patitur, ſed & ſubſtantialis eius forma corrumpitur, nutrito igitur contrarium eſt alimentum. Quo fit ut alimẽti in nutritione attractio à contrario, utpote nutrito, fiat, quod philoſophaſter noſter denegat: etenim quod attrahitur futurum nutrimentum, & ueluti nutrimentum eſt, quæ duo nutrito adhuc diſsimilia & contraria ſunt, & non quod nutrito aſsimilatur, etiam nutrit. Vnde Galenus primo naturalium uirtutum, & primo de tuenda ſanitate, & tertio de tempera. nutrimentum trifariam diuidit, in futurum nutrimentum ueluti nutrimentum, & quod nutrit. Ex qua diuiſione elicitur Philoſophos rectè ſentire, opinantes ſimilia ſimilibus ali, & contraria

Cõtraria in eodẽ genere ſed ſpecie ſunt diſsidentia.

Nutrito contrariũ eſt alimentum.

Alimẽti attractio etiã à contrario fit.

Nutrimentũ trifariã diuiditur.

Similia ſimilibus ali & cõtraria contrarijs.

contraria contrarijs, quos Fuchſius non intelligens, quemadmodum nos cum Auicenna, ſic & illos, ſimul calidum & frigidum ſpirare forſan dicere non uerebitur. Nec præfatis aduerſatur quòd alimenta nutrito ſimilia à Galeno eſſeruntur, quia toti nutrientis ſubſtãtiæ cum tota nutriti natura proprietas quædam ſit ſimilitudo à Galeno uocata non ſolùm tertio de tẽperamen. ſed etiam tertio, quarto & nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quarto item & ſexto de tuenda ſanitate, cuius ratione alimenta nutrito dulcia ſeu idonea conuenientiaq́; ſunt, hoc eſt, talia, quæ aßimilari corpori, quod nutritur, poſſunt, quamuis nutrito actu contraria exiſtant, uti futurum nutrimentum eſt, utpote aſinis equisq́; palea, fœnum, hordeum, aliaq́; id genus ſimilia: leoni crudæ animalium carnes, homini eædem ipſæ coctæ unaq́; panes ex frumentaceis ſeminibus elaborati, quin & Helleboro Coturnices, & cicuta ſturni citra noxam ueſcuntur, ceu utique eruo boues, ut idem explicat ſecundo de alimentis.

Quare nutrito alimentũ ſimile dicatur & locus Galeni explicatus.

Dialexis Octaua

SVPER LICHENE HERBA in Ioannis Platearij defenſionem aduerſus erratum trigeſimumprimum, & Paradoxum trigeſimumſeptimum libri primi.

ALIQVOT SIMPLICIVM medicamentorum effectus & permulta alia quæ priſcos latuerunt, poſteriores (quos ſcitè Guido à cauliaco ait pueros eſſe in collo gigantis & perſpicaciores eſſe, ſecundo Ethicorum, & primo Metaphyſices Ariſtoteles inſinuat) dietim reperiunt, quod & Galenus futurum prædixerat libro, cui titulus, adhortatio ad bonas artes, ac nono de placitis Hippocratis & Platonis, Nos, inquit, antiquis tanto fœliciores ſumus, quòd utilia longo tẽpore cum laboribus & curis inuenta illis, ipſi pauco tempore condiſcimus. Si igitur reliquo uitæ tempore non defunctorie artes exerceamus, ſed ſimilium diſsimiliumq́; dignotioni ſemper ſolicitè inſiſtamus, nihil prohibet nos prioribus euadere præſtantiores. Hinc liquet aberrare Fuchſium, qui Lichenem herbam (quæ hepatica dicitur, non ſolùm quòd iocinorum fibris ſimilis conſpiciatur, ſed quòd iecori etiam maximè proſit) hepati non conferre contra Platearium & Pandectarium iunioresq́; medicos adſtruere non ueretur: quia

Pueri in collo gigantis.

Prioribus poſteriores perſpicaciores ſunt.

Lichen herba quare hepatica dicitur.

illam

illam ueteres iocinori non prodeſſe in monumenta non retulerunt. Pari argumentatione aut paralogiſmo potius, caßia nigra Arabum, quæ aliquibus ſiliqua Aegyptia dicta eſt, cuius ſalutaris ad leniendam aluum uſus, prorſus inutilis cenſenda eſt: quoniam antiquis (ut putatur) incognita fuit. Idemq́; de camphora, myrabolanis, ſantalis, moſcho & ambaro affirmare liceret, quòd iſthæc ſicut alia pleraque ſaluberrima, quibus iuniores utuntur, priſcos ignoraſſe cũ Auerroe quinto Collectorij, & Haly Rhodoan tertio Microtechnes, docti fatẽtur.

Paralogiſmus Fuchſij.

Medicamina ſalubria priſcis incognita.

Cæterùm noſter omniſcius Hippias hoc loci demiratur, quòd ſecum congredi audeam, deinde conſtanter negat, quòd illarum herbarum, quæ ueteribus cognitæ fuerũt, noui hodie ac ab illis ignorati inueniantur effectus. Non tantam, inquit, experientiam noſtri ſeculi medici adhuc conſequuti ſunt, ut gloriari poßint ſe quicquam ijs medicamentis, quæ Galeno ac ueteribus alijs cognita fuerunt, addidiſſe, inueniſſeq́; in iiſdem quod uiris illis ignotum fuerit.

Obiectio Fuchſij arrogãtißima.

Ego qui ſexaginta ferè annis medicinam ſum profeſſus, præter decorum fortaßis cum Fuchſio in arenam deſcendo, quem cuilibet in medicina cathecumeno illis inſtituto diſciplinis quæ medicinæ ſcientiæ famulantur eſſe poſthabendum, cum ex multis, tum hac arroganti obiectione colligere licet, in qua tanquam iniquißimus iudex de ſibi incognitis omnibus noſtri ſeculi medicis pronuntiat, quos ratione & experientia (quæ duo ſunt omnis inuentionis organa, tertio Therapeuticæ methodi, quibus prorſus, ut apparet, deſtitutus eſt) carere inſanus inſinuat. Hominis itaq́; temerariam falſitatem facilime deprehendent boni Galenici, qui nihilominus in Neotericorũ

Reſpõſio ad obiectionẽ.

Duo omnis inuẽtionis organa.

Græcorum

Græcorum, Arabum & Latinorum libris non oſcitanter uerſati fuerint. Hanc etiam nunc nullo planè negotio legenti ob oculos ponam. Roſæ, ut omittam quæ in præcedentibus prima & ſecunda dialexibus de apij proprietate & rhabarbaro diximus, Dioſcoridi & Galeno haud incognitæ fuerunt, ut conſtat ex primo Dioſcoridis libro, & octauo Galeni de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quas ſanguinem defecare, ut ſecundo canonũ uniuerſalium ſcribit Meſues, ſeroſosq; humores purgare in confeſſo eſt, eas tamen purgatoriam uim habere, in præfatorum antiquorum monumentis relatum non inuenio, niſi inter ueteres Auicenna (quod Fuchſij autoritas minime pateretur) numerandus ſit, qui prima quarti phen in pituitoſæ febris curatione roſas rubentes perſicas eſſe ſolutiuas cenſet, quem, ut arbitror, Meſues inſequutus eſt. Item piſtacia uentrem non ſubducere nullus medicorum nunc neſcit, ac Galenus ſecundo de alimentis, illa an ſtomacho noxia, an utilia ſint nullum ſe habere certum eius rei teſtimonium memorat, quemadmodum nec an aluum ducant, an ſiſtant. Huc etiam refert quòd argenti uiui ſeu hydrargyri facultates (quæ nunc lippis & tonſoribus experientia cognitæ ſunt) Galenus ignorauit, ut ex nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus colligitur: Idem quoque allium ſitim non excitare putauit duodecimo Therapeuticæ methodi, cui Hippocrates quarto de ratione uictus acutorum morborum, & Dioſcorides libro uigeſimo, ratioq; & experientia refragatur. Conſtat enim excruciari eos ſiti qui largiore hoc cibo ueſcuntur, nam ſiccare ſtomachum ſolet, unde ſitis concipitur. Atque adeo ſericarum uirtutes illi fuiſſe incompertas, ſecundo de

Roſæ purgatoriã habent uim à ueteribus ignoratã

Piſtacia non ſoluere aluũ.

Argenti uiui hydrargyríue uirtus Galeno ignorata.

Alliũ ſitim excitare non cognouit Galenus.

Sericarũ uirtus Galeno incomperta.

alimentis claret: ubi ingenuè fatetur Galenus ſe non habere aliquid de ipſis teſtificari ad ſanitatis conſeruationem, aut ægritudinum curationem, ſed de his in ſequenti dialexi tractabimus. Fuchſio interim optantes mentem ſanam, quam purgato per ueratrum cerebro aſſequi forſitan poterit, quare nihil conſultius, niſi ut demens iſte (qui in angulũ aliquem nos recipere iubet) in phocidis anticyram helleborũ poturus ſecedat.

Dialexis Nona de

SERICIS ET MYXIS, ADVER-

ſus erratum trigeſimum & paradoxum libri primi uigeſimumſeptimum.

IVIVBAS ET SEBESTEN AD uſus medicos contra Auicennam & uniuerſam Arabum ſcholam inutiles eſſe contentioſus affirmare audet Fuchſius, ob id ſolũ, quòd Galenus nihil in ijs quod uel ad ſanitatẽ tuendam aut morbos curandos conduceret exploratus ſit, ut ipſemet teſtatur ſecundo de alimentis, in hanc ſententiam de ſericis ſcribens: Ne his quidem qui ad tuẽdam ſanitatẽ morbos'ue profligandos ualeant, teſtis eſſe poſſum: nam ab inſolentibus & effrenatis pueris ac mulieribus cibo duntaxat appetuntur, imbecilliter nutriunt, & difficulter concoquuntur, cumq; hoc ſtomacho inutilia ſunt. Ex quibus Galeni quantumuis diligentiſsimi medicæ materiæ facultatis exploratoris uerbis, non neceſſariò ſequitur præfatum Fuchſij placitum, imò tale eſt, quod rideri magis quàm refutari mereatur, & ſi iam exploſum uideri poſſit ex præcedenti Dialexi, ac illa iamdudum edita quam hic ſubiungam notatiuncula.

Ridendũ Fuchſij inſomnium.

Telluris ratione ſimplicium medicamentorum commoditates effectuſq; commutantur, ut patet de perſica planta in Aegyptum tranſlata, tertio de ſimpto. cauſis. quam ob rem ſi iuiubæ ſint fructus quos Græci ſerica et Latini Ziziphanominant

Soli ratione ſimpliciũ uires mutãtur.

minant, quorum fit mentio ſecundo de alimentis, ut credit eruditiſsimus uir Leonicenus in epiſtola ad Menochium, eas in Galeni patria uſui medico inutiles fuiſſe, ut non negauerim ſic noſtras eſſe ſalutares præter Neotericorũ omnium cum Græcorum, Arabum, tum Latinorum autoritatem experientia ipſa rerum magiſtra docet, cui ratio accedit: etenim Ζiζipha immatura acerba uel acida exiſtentia, eoq́; frigida atque ſicca, quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſanguinis feruorem extinguere ualent, ut inquit Iſacus libro dietarũ particularium. Matura uerò & iam dulcia, quæ, eodem atteſtante, in primo ordine calida humidaq́; ſunt, pectoris & pulmonis aſperitates lenire & perinde raucitati atque tuſsi conferre poterunt, ut perhibent Rhaſes quarto ſuorum aphoriſmorum, & Serapio libro ſimplicium, & Meſues libro antidotum, Illaq́; ad primam artericarum antidotum differentiam (quæ minimè mordax eſt, exacteq́; obſtruit, aſpritudines leuigans, ſeptimo de compoſit. medicamentorum κατὰ τόπȣς) pertinere cenſentur. Proinde illis earumq́; decocto & ſyrupis ad uarios affectus, ad quos ſunt accommodata, ſalubriter utuntur Manardus, ac omnes noſtræ ætatis medici, qui non ſummis tantũ labijs, quemadmodum Fuchſius, medicã ſcientiã deguſtauerunt, ſed qui uti ſciunt in uniuerſalibus theorematis methodo, & in particularibus exercitatione ſine quibus medicinæ finis conſequi non poteſt ut patet nono Therapeuticæ methodi. Similiter fructus quem ſebeſten Arabes, & myxam Græci pariter atq; Latini uocant, ad ſericorum temperamentum accedere ex conuenientia ſaporis deprehenditur, quocirca immaturus per alias qualitatès quàm maturus operatur: nam

Ziziphorũ immaturorũ uirtus.

Ziziphorũ immaturorũ facultas.

Boni medici quales.

Myxæ ad ſericarũ temperamentũ accedunt.

nam arborum fructus quotquot nobis ubi maturuerint dulces apparent nuper enati acerbi ſicciq́; ſunt conſiſtentia, pro ſui nimirum parentis quiſque natura, at progreſſu temporis humidiores redduntur, acquiruntq́; ad acerbitatem aciditatem, quam ſenſim exuentes, poſtea dum matureſcunt ac perficiuntur dulces euadunt, ut ſcribit Galenus quarto de ſimplicium medicamētorum facultatibus. Vnde ſebeſten ſeu myxa maturus humiditatis lētorisq́; ſui gratia (ueluti prunū cuius ſpecies eſſe uidetur uel ſaltē cui uiribus ſimilis eſt, ut apud Leonicenū in epiſtola citata Paulus ait) uentrem ſubducit, quod etiam Auicēna ſecūdo canone ueriſſimè prodidit, & uſu penè quotidiano comprobauerunt duo exercitatiſſimi doctores, Ioannes Cermiſonus, & Bartholomæus Mōtagnana, ut utriuſq; conſilia legēti manifeſtū eſt, nosq́; identidem experti ſumus.

Sapores in fructibus quomodo mutantur.

Myxa ſpecies pruni.

Myxa matura aluū ſubducit.

Verùm Fuchſius ~~magnis boatibus hic contendit~~ Recentiores ueram experientiam nondum eſſe aſſecutos, eorumq́; mixturas ac compoſitiones in uniuerſum damnat, illisq́; utpote ſibi ignotis more canum (ne uerum ne ſit prouerbium) adlatrat. Deinde Plinium obtrudit Valerianum, quarto de re medica de myxis dicentem: Hoc genus manifeſtè ſtypticæ uirtutis apparet, & frigidæ, quamuis plurima illi de frigore ſiccitas decoquat, uerùm & ardores febricitantium extinguit ore compreſſum & ſitim mitigat, & in cibo ſumptum ſtomachum erigit, ſolutioni uentris obſiſtit.

Oppoſitio Fuchſij refellitur.

Sed his uerbis ſatis claret, Valerianum de myxa uiridi, & non de matura eſſe locutum, alioqui illius hominis qui citra analeſin & methodum rem medicam tractat iudicium ſusq́; deq́; ferimus. Nec omnis myxa frigida & ſicca eſt, ut perpe-

Locus Plinij Valeriani enarratus.

Nō oīs myxa frigida et ſicca.

ram indocteq; enuntiat Fuchſius: nam matura temperata eſt, ut Auicennæ placet ſecūdo canone, ſeu calida in prima claſſe, ut autumat Auerrois quinto collectorij, quod ex facultatibus guttur & pectus lenientibus, quas myxæ tribuit Rhaſes, quem citat Fuchſius, atq; ex dulci eius ſapore deprehendere potuiſſet idem Fuchſius, ſi talis eſſet, qualis uideri uult, bonus ſcilicet Galenicus, à quo ſciat ille uelim, ſe pluſquam δὶς διὰ πασῶν abeſſe, & nunc ut aliàs ſemper immeritò Auicennam & Auerroin taxaſſe.

Auicēna & Auerrhois à Fuchſij calumnijs defenſi

Obiectio Fuchſij ſecunda exploditur.

Iam uerò producit Galenum non ſolùm in Pergamo, ſed in Italia, & Romæ ægrotis curādis operam dediſſe, quare inquit eaſdem quas Montuus ipſe etiam agnouit iuiubas, illasq; iustè utpote inutiles expertus damnauit.

Fuchſij in Dialecticis ignorantia.

Sed hanc conſequentiam (in qua antecedens uerum & conſequens falſum eſt) non ratam eſſe minimè ignoraſſet Fuchſius, ſi uel per ſomnium in Dialecticis fuiſſet uerſatus: quippe nihil prohibet in Italia medicum egiſſe Galenum, atque inibi iuiubarum abſtinuiſſe. Galenum quoque alicubi iuiubas expertum fuiſſe male colligit Fuchſius ex ſecundo de alimentis: quin potius contrarium ibidem elicitur.

Obiectio Fuchſij tertia diluitur.

Quod item effutit non perſicam ſed perſeam plantam in Aegyptum tranſlatam fuiſſe. Reſpondeo quòd non meo ſed librarij uitio factum eſt, ut in annotatiuncula noſtra legatur perſica pro perſea: nam perſicam arborem à perſea differre iamdiu nouimus ex Dioſcoridis ac Galeni lectione, adnotatumq; fuit à Manardo octauo epiſt. libr. Et forſan ſicuti perſea in Perſide letalis eſt, tranſlataq; in Aegyptum mutata natura edendo facta eſt, ut refert Dioſcorides libro primo, &

Perſica planta à perſea differt.

Galenus

Galenus ſecundo de alimentis, ita perſica arbor (qua de Galenus loquitur tertio de cauſis ſympto.) in Aegyptum traducta ab alimenti natura mutata ~~fructum facit eſculen~~tum, qui prius talis non erat, ut idem teſtatur libro ſecũdo de ſemine, & ſecundo de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους, niſi mendo Græci Latiniq́; codicis, unà cum bonis Gulielmo Copo, & Ioan. Guinterio interpretibus, fallamur. Accedit quòd punica acida ſi in Aegyptum transferatur in dulcem quodammodo aut uinolentam conuertetur, ut teſtis eſt Theophraſtus ſecundo de hiſtoria plantarum, ex quo patet quòd ſoli ratione magna in arbore ferente ſericas alijsq́; plantis alteratio, mutatioq́; efficitur, quod Fuchſius ſe ignorare indicat. Optarem itaque ut iſte ἀγέρωχος temeritate uacaret, quam hoc mihi loco irreuerenter impingit.

Perſea in Aegyptum translata.

Perſica in Aegyptum etiam traducta.

Punica acida in Aegyptum traducta dulcis fit

Dialexis decima de

NAPELLO ET ACONITO,

contra erratum quintum, & decimū-quartum libri primi paradoxum.

Aconiti ſola radix uenenata.

Aconitū napellus nō eſt

Fuchſij calumnia in Auicennam.

QVANDOQVIDEM Aconiti *folium & fructū nihil nocere, ſed uim illam mortiferā in radice eſſe refert* Theophraſtus *nono de hiſto. plantarū.* Aconitū *à napello* diſtare reor: Nempe *conuenit inter neotericos omnes, qui uenena quomodo arceantur uitenturq́; pertractarunt, napellum uenenatum eſſe folio, nedum fructu & ſucco: quod uerißimum eſt, ſiue per napellum cicutam, ſiue id quod toxicum uocant* Græci *intelligatur: utrunq; enim napelli nomine indicaſſe uidetur* Auicēna, *uel potius non bonus eius interpres ſecundo canone, & phen quarti ſexta. quod etiam notauit* Leonicenus *in epiſtola ad* Politianum. Haud *tamen me latet in* Pandectis Syluaticum *opinari aconiti ſpeciem napellum eſſe, quem* Fuchſius *ſequutus errore quinto, quod noſtræ ætatis* Herbarij *napellum nominant, hoc à* Græcis Latinisq́; *aconitum uocari putat.* Itaq́; *aconitum, inquit, nullus unquam præter* Auicennam, *qui ſecundo* Canone *ſcribit aconitū delere albaras linitum &* bibitum, *in potu propinandum docuit, ex quo ſe* Plinium *non lectitaſſe prodit, qui libro naturalis hiſtoriæ uigeſimoſeptimo ſic exarat:* Aconitum *in uſus humanæ ſalutis*

næ ſalutis uertere ſcorpionum ictibus aduerſari experiendo aconitum datum in uino calido ea eſt natura, ut hominem occidat, niſi inuenerit quod in homine perimat, cum eo ſolo colluctatur : mirumq́; eſt exitialia per ſe ambo quum fuerint duo uenena in homine, commoriuntur, ut homo ſuperſit. Hic loci propter rei affinitatem Auſonij epigrãma ſubſcribam de uxore quæ uirum ueneno necare uoluit:

Toxica zelotipo dedit uxor mœcha marito,
  Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti letalia pondera uiui,
  Cogeret ut celerem uis geminata necem.
Diuidat hæc ſi quis faciunt diſcreta uenenum,
  Antidotum ſumet qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
  Ceſsit letalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & uacuos alui petiere receſſus,
  Lubrica deiectis qua uia nota cibis.
Quàm pia cura deum prodeſt crudelior uxor,
  Et cùm fata uolunt bina uenena iuuant.

Argenti uiui doſis geminata.

At Fuchſius ſe quæ de aconito ex Plinio citauimus non ignoraſſe reſpondet. quo ſanè reſponſo planũ fecit ſe maluiſſe ignorantiam ſuam occulere, quàm malitiam, qua ſycophantioſe hoc loco, ut aliàs frequẽter, in Auicennam inuectus eſt. Vir quidem bonus præſtare debet ne mentiatur, ut apud Gellium undecimo noctium atticarum Nigidius dixit. Itaq; bonũ præſtiterit eſſe quàm doctum, iuxta Sorani uel Ethnici medici ſententiam, qui in Iſagogis feliciſsimum eſſe exiſtimat, ubi medicus in arte perfectus ſit, & moribus optimus. Si autem

Oppoſitio fuchſij ac eius ſolutio.

Præſtat bonũ eſſe quã doctum.

unum de duobus deſuerit, melius etiã uidetur eſſe bonũ quàm artificem perfectum mores habẽtem malos: modeſti ſiquidem mores quod in arte deeſt, ut ait, repenſare uidentur, culpa autem morum artem perfectam improbare poteſt.

Oppoſitio Fuchſij ſecũda eiuſq; eluſio.

Deinde obtrudit Fuchſius, non eſſe præter Auicennã qui ad delendas albaras in potu propinandum aconitum unquam dixerit.

Næ adeo ſtolidus eſt Fuchſius, qui ſe uniuerſos rei medicæ ſcriptores perlegiſſe credat.

Oppoſitio Fuchſij tertia confutatur.

Item argutatur, Aconitum in potu non eſſe exhibendum, quoniã lupos & pardos fortiſsimas feras interimit, teſte Dioſcoride libro quarto, & Galeno ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ergo multo magis hominem.

Permulta feris noxia quæ hominibus ſunt ſalubria.

Vt taceam permulta feris cùm noxia tum uenena eſſe, quæ hominibus commoda ſalutiferáq; ſunt, & econuerſo, quod de amaricino & ſuibus ſexto de rerum natura, his uerſibus declarat Lucretius:

Amaricinũ ſuibus uenenum.

Denique amaricinum fugitat ſus, & timet omne
Vnguentum: nam ſetigeris ſubus acre uenenum eſt,
Quod nos interdum tanquam recreare uidetur.

Si hæc Fuchſij argutia ualida foret, à cantharidibus, coriandro, pſillio, cicuta, hyoſciamo, mandragora, meconio, argento uiuo, quibus ſalubriter & non raro utuntur medici, abſtinendum eſſet, quando illa inter uenena numerantur ſexto Dioſcoridis libro: atqui omne uenenum naturæ animalis corruptitium eſt, tertio de temperamentis. Quocirca multo aliter cum Galeno ac uniuerſo medicorũ choro ſentiendum eſt, quòd uidelicet omnia id genus medicamenta, ſi exiguè ſint data &

Omne uenenum naturæ aĩalis corruptitiũ eſt.

ta &

ta & unà cum his quæ uehementiam eorum caſtigare ualeant, nonnunquam uſum aliquem corporibus noſtris præſtant. Siquidem medicamen id quod cantharidas recipit, hydericis prodeſt: tametſi cantharis ipſa ueſicam omnino exulceret. Verùm ubi per ea quæ admiſcentur caſtigata eſt, ac corpori quod plurimo humore grauatur, tum offertur, illum per urinas expellit, ut affirmat Galenus tertio de temperamentis, & tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Si ueneni, inquit, exiguum quiddam ſumatur, mortẽ homini nequaquam infert. id quod anus Athenienſis experimento docuit, cuius apud omnes percelebris memoria eſt. etenim ea ab exigua cicutæ portione auſpicata, nullo detrimento ad permagnã progreſſa eſt copiam: principio enim paucum exiguitate ipſa deuictum eſt, ac conſuetudo naturale reddidit. Vndecimò quoq; de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quatuor hiſtorijs teſtatum relinquit, ſanatũ elephantioſum fuiſſe uipereæ carnis eſu. Non tamen neſcio Celſum arbitrari libro quinto, uenenum ſerpentis non guſtu, ſed in uulnere nocere. Ideoq; ait, colubra ipſa tuto eſtur, ictus eius occidit. Sed Celſo experientia & apertè refragatur Galenus loco nuper citato, atque Theophraſtus quarto de cauſis plantarum, dum ſcribit: Cerui uiperas edunt, quibus cætera moriuntur, exceptis forſan ſuibus, quibus ſerpentes etiã in pabulo eſſe meminit Plinius naturalis hiſtoriæ libro undecimo. In multis item ægrotationibus uenena competere (ut Meſues teſtatur primo canonũ uniuerſalium) extra controuerſiam eſt: nec tantum ex aconito, ſed & alijs efficaciſſima uenenis antidota fiunt, quibus affectus omnes, qui ex letalis ueneni potione eueniunt, peſtisq; ipſa curari

Quomodo uenena ſine noxa dari poſſunt.

Anus ueneno aſſueta.

Elephas uiperæ carnis eſu curatus.

Viperæ caro an uenenata Contra Celſum.

Cerui Viperas edent

In multis morbis uenena conducũt Antidota ex uenenis.

rari facilè poſſunt. Tale illud erat ex oleo ſcorpionum linguliſq; aſpidum & alijs eiuſmodi uenenis confectum (ut omittam Andromaci theriacem) quod ad Hermolaum Barbarũ peſte laborantem dono miſerat Ioannes Picus Mirandula, quo de mentionem facit Crinitus primo de honeſta diſciplina: nec diſsimilis efficaciæ fuit, quod ex alijs rebus uenenatis fieri perhibet Ioannes Sermoneta in primum aphoriſm. Hippocratis, quæſtione duodecima.

Oppoſitio Fuchſij quarta refellitur.

Poſtremò Fuchſius parum frugis hanc, ut alias omnes annotationes meas, quas uocat frigidiſsimas, attuliſſe garrit. Quaſi uerò falſas & abſurdas eius opiniones, quæ medicinæ candidatis imponere potuiſſent, indicare & arguere, multiſq; ueterum ac recentiorum de re medica bene meritis (in quos iniuſtè, tanquam canis, iſte baubatur) patrocinari inutile ſit, in præſentiarum ſat commode, ut uidere eſt, Plinij autoritate Auicennam à Fuchſij calumnia liberauimus, ita ſcribentis: Delirant medici, inq; perniciem certam hominis tendunt, qui Auicennam ſequuti napelllum (id autẽ Fuchſio Aconitum creditur) exitiale uenenum in potu propinandum putant. Quibus uerbis contumelioſum hominis ingenium, & ab omni comitate alienum eſſe quis non uidet? Cæterùm non eſt quòd errata ſeu paradoxa ſua tanquam utilia admiretur Fuchſius: quandoquidem ſi quid profectus in illis habetur, id autoribus acceptum ferre debemus, quibus illa Fuchſius ſurripuiſſe fertur, quos ne poſthac ſua laude defraudet, alibi appoſite nominabimus.

Auicẽna uindicatur à Fuchſij ſycophantia.

Dialexis undecima

DE CANTHARIDIBVS CONtra erratum trigeſimumquintum, & paradoxum libri primi trigeſimumnonum.

IN CANTHARIDVM EXHIbitione pedes & caput proijcere mandat Hippocrates quarto de ratione uictus acutorum morborum, & alas & pedes amputare iubet Aetius ſermone ſecũdo, & nihil earum abijcere, ſed integras, id eſt, cum pennis, capite & pedibus dandas eſſe præſcribit Galenus undecimo de ſimplic. medicament. facult. & quarto de ratione uictus acutorum morborum, commentario centeſimo decimoquarto. Vnde ſatis conſtat, quòd non ſemper pedes proijciendi ſunt: quodq; Rhaſes nono ad Almanſorem, & Auicẽna decimanona tertij phen, qui Græcos ſequentes Cantharidum alas & capita abijcere præcipiunt, minime hallucinãtur, ut cauillator iſte deblatterat, dumq; alios inſimulat ignorantiæ, hic ſuã paſſim et ubiq; prodit. Nec cãtharides in uſu interiore ſemper ſunt ſuſpectæ, ut idẽ garrulatur: nam ubi per ea quæ miſcentur caſtigatæ ſunt, tutò ad multos affectus dari poſſunt, omniũ medicorũ ſententia, quod Galenus etiam cum alibi, tum tertio de temperamẽtis, palàm teſtatur. Iam uerò mirum uidetur, cantharides in loculis ad zonam

Varia in cãtharidũ exhibitione præcepta.

Rhaſes & Auicenna à Fuchſij calumnia defenſi

Cantharides in uſu interiore nõ ſemper ſuſpectæ

Hiſtoria de ferente in loculis cantharides.

appenſis ligatas ueſicā cuiuſdam chirurgi uitiaſſe, ſanguinisq́; mictionem prouocaſſe, ut excellens doctor Matthæus à Grado (ſub quo dominus Michael Montuus parens meus medicinæ lauream Papiæ indeptus eſt) in ſuis ſuper nono Almāſoris gloſſematis narrat. Proximum ſanè eſt, quod Aetius ſexto ſermone, in curatione cephaleæ, nos, ait, linimento ex cantharidibus utimur, ac mirū in modum prodeſt, ſanie ab ulcuſculis medicamento illatis diutius emanante: oportet tamen interea

Canon in applicatiōe cātharidum.

lactis potione, & congruis irrigationibus ueſicam munire: adhibito enim ex cantharidibus lenimento, proprietate quadam ueſica facilè iniuria afficitur. Porrò cantharidarum uenenum in qua parte ſit, non conſtat inter autores. Alij in pedibus & capite exiſtimant eſſe. Alij negant, ut ſcribit Hermol. Barbarus in corollario. conueniunt tamen pennas earum auxiliari in quacūque parte ſit uenenum, ut docet Plinius decimonono naturalis hiſtoriæ, & Dioſcorides libro ſecundò, quibus hiſtoria nuper allata non conſonat: ex qua liquet cantharidarū pennas contra earundem maleficia præfato Chirurgo remedio non fuiſſe.

Cantharidarū uenenum in qua parte ſit.

Cantharidarū pennæ nō ſemper earū maleficio remedio ſunt.

Dialexis duodecima

SVPER ARABVM MVMIA & Græcorum Piſſaſphalto, aduerſus quadrageſimum libri primi Paradoxum.

MVMIAM SERAPIONIS & Auicennæ idẽ eſſe cum piſſaſphalto Dioſcoridis nullus hactenus, quod ſciam, inficias iuit: quoniam Dioſcoridem citantes in teſtem Serapio libro ſimpli. & Auicenna ſecundo canone, eadem uerbo tenus de ſua mumia quæ de piſſaſphalto Dioſcorides pronuntiarunt. Haud tamen omnis mumia piſſaſphaltos eſt, ut falsò aſſerit Fuchſius: Nam extra piſſaſphaltum omnis mortuorum conditura ex aſphalto, uel aloë, myrrha & croco, uel aloë, myrrha, croco & balſamo mumia uocatur ab Arabicis medicis, ut ex eorum lectione nobis innotuit, quodq; docet in ſuo ſimplicium examine ſpectabilis doctor Antonius Muſa. Itaq; multas mumiæ facultates Arabes adſcribunt quæ piſſaſphalto (quod ut picis & bituminis nomina ſic & uires poßidet, teſte, primo libro, Dioſcoride) minime quadrare poſſunt, ut ſcienter animaduertit Cordus in botanologico: ex quo præter temerarium iudicium, occultè traduxit Fuchſius quæcunque de mumia tradidit, quapropter ſi ſuper furto damnum capitale ſtatutum ſit, ut ſectione problematum uigeſimanona Ariſtoteles memoriæ prodidit, non poſſet Fuchſius iuſtam de

Error Fuchſij putantis omnem mumiã eſſe piſſaſphaltum.

Super furto damnũ capitale ſtatutũ.

omnibus quæ inuolauit pœnam luere, niſi ceu hydra multorũ capitum beſtia eſſet: quorum aliquot exciſis, totidem conti-nuò renaſcerentur: etenim omnia eius errata & Paradoxa mera furta ſunt. Verùm hæc de mumia ueluti extra rem ſint dicta. quandoquidem propoſitum nobis in iſto & ſequenti libello maxime fuit, illa duntaxat excutere Paradoxa, quæ nos immeritò taxarunt, & contumelioſa ſunt. De reliquis uerò omnibus, quorum nulla à nobis mentio adhuc facta eſt, forſan in tertio Dialexeon libro ſeriatim & latius diſſeremus.

FINIS PRIMI DIALEXEON LIBRI.

DIALEXEON MEDICINALIVM LIBER II.

Eodem domino Sebaſtiano Montuo autore.

Dialexis Prima de PLETHORA ET CACOCHYMIA

aduerſus erratum trigeſimumnonum, & ſecundum ſecundi libri paradoxum.

REPLETIO SIVE PLENITVDO eſt plus humoris uel cibi quàm modo naturæ conueniat, ut colligitur ſecundo aphoriſmorum, commentario decimoſeptimo, atq; ibi id quod plus, inquit Galenus, ſemper ad aliquid dicitur: uerùm in noſtris corporibus duplex eſt. unum quantum ad uaſorum amplam capacitatem, alterum quantum ad illam quæ nos gubernat naturam. ad hunc quoque modum plenitudinem partitur, libro de plenitudine, & de curandi ratione per uenæ ſectionem: quia duplex continens, unum ut uas, alterum ut conſeruans ſeu regens. ſic anima ſecundum Ariſtotelem corpus continet, ſeptimo Politicorum. Vtraque abundantia ſiue plenitudo in ſano ac ægro corpore accidere poteſt, libro de phle-

Repletio plenitudóue quid.

Plenitudo duplex.

botomia nuper citato: ſed quæ ad uires refertur, ciborum & humorum eſt, ut innuit Galenus ſecundo aphoriſmorũ, gloſſa præallegata. eſt enim repletio quæ uires prægrauat, quarto de tuenda ſanitate. unde ut de cibo etiam modico (quem ob imbecillitatẽ concoquere uentriculus non ualet) ita de cacochymia, id eſt, uitioſo humore uires grauante efferri poteſt. Liquet igitur iuniores medicos qui cacochymiam, repletionem, quæ ad uires eſt, appellant, non errare, ut perperam ac præter decorum affirmat Fuchſius. Plenitudo ad uaſa humoris in uniuerſo corpore abundantia eſt, quum uniuerſi uel iuxta priſtinam proportionem increuerint, uel exiguum quendam exceſſum unus inter eos acceperit, ut definit Galenus libro de plenitudine. Humorum uerò proportionem autore Aphrodiſeo ſecunda ſectione, problem. octauo, ſic natura ſtatuit, ut ſanguis cæteris omnibus materijs eſſet largior, pituita locum teneret ſecundũ, bilis flaua tertio loco haberetur, atra bilis ſortis eſſet poſtremæ. Iam hæc quæ ad uaſa confertur plenitudo diuiditur in quatuor ſpecies, rubicunda ſiquidem ſanguinis plenitudo eſt, ſubpallida uerò flauæ bilis, albeſcit ſupra naturalem habitum cùm pituita excedit, quemadmodum nigreſcit, ubi atra bilis ſuperat, ut libro de plenitudine, tradit Galenus. In ſingulis autem commemoratis ſanguinem ſimul coauctum eſſe oportet: etenim ſi ſola pituita aut pallida, aut atra bilis ſuperaret, non plenitudo aut plethora, ſed cacochymia, ut illhic ait Galenus, nominaretur. Proinde præter plethorã quæ ſimpliciter plenitudo uocatur, tres eſſe plenitudinis ſpecies, hoc eſt, pituitæ, flauæ bilis & nigræ conſpicuũ eſt. Iam uerò plethora definitur, ſuccorum æquabiliter ſe habentium redundantia

Plenitudo ad uires quid.

Plenitudo ad uires de cacochymia prædicatur cõtra Fuchſium.

Plenitudo ad uaſa quid

Humorum proportio.

Plenitudinis ad uaſa diuiſio.

Plenitudo ſimpliciter de plethora dicitur.

Plethoræ definitio.

tia, ſecundo & tertio de tuenda ſanitate. quarto & decimoter tio therapeuticæ methodi. & tum æquabiliter ſe habent, cùm uniuerſi uel iuxta priſtinam proportionem increuerint, uel exiguum quendam exceſſum unus inter eos acceperit. etenim in plethora ſanguis uehemẽter poteſt præcellere, aliorum hu-morum nullus, ut Galeno placet libro de plenitudine. Itaque plethora eſt utilis, & naturalis humoris repletio, eodem teſte ſecundo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Con-trà, cacochymia ex etymo ſuccorum uitium ſonat: ubi enim uel flaua bili, uel nigra, uel pituita, uel ſeroſis humoribus refer tum corpus eſt, eum habitum κακοχυμίαν, quaſi ſuccorum ui-tium dicas, nominant, decimotertio Therapeuticæ methodi. Eſt ergo cacochymia uitioſi ſucci abundantia, tertio de tuen-da ſanitate. Vitioſus autem ſuccus eſt, qui naturæ incommo-dat, aut qui uſum aliquem naturæ non confert, ut colligitur ſe-cundo naturalium uirtutũ, & ex boni deſcriptione humoris. bonus nanq; eſt, de cuius proprietate eſt, ut fiat pars ſubſtãtiæ nutriti, prima phen primi. Quocirca omnis ſynceri humoris redundantia cacochymia eſt: quoniam omnis humor ſyncerus præter ſanguinem ſignificat paruũ morbum, ſecundo Progno. gloſſa quadrageſimaſeptima. & ſanguis ſyncerus in uenis nun quam comprehẽditur, libro de plenitudine. & uenas egreſſus non in ſua natura permanet, ſexto aphoriſmorum, commenta-rio uigeſimo. Ex quibus omnibus conſtat nihil planè illorum, quæ de plenitudine ſcripſit Galenus, intellexiſſe Fuchſium, eumq; multifariam erraſſe. Primò quòd repletionem à pleni-tudine tãquam hæc ſpecies ſit, illa uerò genus, differre faciat, quum eadem & non diuerſa Galeno res repletio & plenitu-do ſit

Humores æquabiliter ſe habere quid ſit.

Plethora.

Cacochymia quid.

Vitioſus ſuccus quid.

Omnis ſyncerus humor uitioſus.

Repletio à plenitudine non differt contra Fuchſium.

do ſit: nam ut repletionem, ſecundo aphoriſmorum, commentario decimoſeptimo, & libri de humana natura, commentario ſecundo, ſic plenitudinem diuidit, libro de plenitudine, & de phlebotomia. eorumq́; nominibus paßim in ſuis operibus indifferenter uti ſolet. Nec apud eundem aßignari poterit aliqua repletio, de qua altera plenitudinis ſpecies non rectè prædicetur.

Repletio ad uaſa non rectè diuiditur à Fuchſio.

Secundò hallucinatur Fuchſius repletionem ad uaſa diſſecans in plethoram & cacochymiam, quando omnis ſyncerus humor cacochymia eſt, ut probatum iam habeo: & nullus ſyncerus humor in uenis continetur, libro de plenitud. ſed extra uaſa eſt, ceu apparet de cacochymia in arcuato morbo cutem illinente, tertio de cauſ. ſympto. & libro de plenitudine.

Repletio in quãtitate et qualitate ad plenitudinẽ ad uaſa eſt referẽda cõtra Fuchſiũ.

Tertiò peccat Fuchſius, quantitatis repletionẽ in plethorã & cacochymiã ſecans, quando utraq; cùm quãtitatis tum qualitatis repletio ad plenitudinẽ quæ ad uaſa cõparatur, referenda ſit, iuxta illud Galeni: Deficiunt redundantq́; quædam in quãtitate, quędã in qualitate. In quãtitate cùm ſanguis immodicè eſt auctus, aut rurſus minor redditus. In qualitate, cùm uel calidus, uel frigidus, uel craſſus, uel tenuis plus iuſto minus'ue eſt effectus, undecimo Therapeuticæ Methodi. Patet autem quòd uel calidus, uel frigidus, uel craſſus, uel tenuis plus iuſto minus'ue ſanguis efficitur, ob pituitæ, aut flauæ bilis, aut atræ cum eo commixtæ incrementum: quapropter repletio in quantitate ad plethoram, quæ uerò in qualitate eſt, ad tres alias plenitudinis ſpecies pertinere uidetur: quippe ueluti ſanguis naturalis immodicè auctus plethora eſt: ita adaucta cum ſanguine pituita, uel flaua, uel atra bile, fit pituitæ plenitudo,

Repletio in quantitate plethora & in qualitate eſt plenitudo cum adiectione.

aut

aut flauæ bilis, aut nigræ (quæ non ſimpliciter plenitudo, ſed cum adiectione plenitudo pituitæ, flauæ bilis, aut nigræ dicitur, ut ſentire uidetur Galenus ſecundo de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπȢς) & conſequenter ſanguis uel calidus, uel frigidus, uel craſſus, uel tenuis plus iuſto, minus'ue redditur.

Quartò iuniores qui cacochymiam ad repletionem in qualitate referunt, indocte admodum Fuchſius taxat. quandoquidem Galenus per qualitatis repletionem cacochymiam indicare uidetur, ſecundo de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπȢς, in hunc modum ſcribens: Si caput lege conſortij afficiatur, quod ei cum toto eſt corpore, cura adhibēda eſt, quomodo contra intemperiem ſuperantemq́ materiā pugnemus. ſi copia quidem premit, & maxime in uenis ſanguis mittendus eſt. ſi autem magis qualitas urgeat, purgante utendum medicamine. In his certe uerbis qualitatem urgentem cacochymiam interpretari neceſſum eſt: quoniam ipſæ intemperaturæ (ut tertio artis paruæ idem refert,) ſola alteratione ſanantur.

Per qualitatis repletionē cacochymiā interdū intelligit galenus. contra Fuchſiū

Quintò Fuchſius non minus, ſed longè turpius aberrat, qualitatis repletionem, in qua, ut ſuprà enodatum eſt, ſanguis cum aliquo trium humorum redundat, alterantibus ſolùm curari aſſerens. Nec eſt quòd multis hunc periculoſum Fuchſij errorem refellamus: nam illi palàm reclamat ratio, atq; adeo primum medicinæ curatricis axioma, quod eſt, Contrariorum contraria ſunt remedia. Hippocrates quoque omni repletioni euacuatione mederi docet ſecūdo Aphoriſmorum, uigeſimo ſecundo, & libro de natura humana, inquiens: Quicunq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & quicunque ex eua-

Qualitatis repletio nō ſolum alterātibus, ſed uacuatione curatur. cōtra Fuchſiū

Omnis repletio uacuatione ſanatur.

 cuatio

Plenitudo ad uires & ad uaſa uacuatione ſanatur.

cuatione, repletio, & aliorũ contrarietas. Galenus identidem libro de phlebotomia, Vtrique plenitudini, ait, uacuatione eſt opus, ſiue in homine ægrotante, ſiue in ſano euenerit. cui aſtipulatur Aegineta libro ſexto. & decimotertio Therapeutices methodi, Plethora, inquit Galenus, tum ſanguinis miſsione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione, præterea digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia inedia ſuccorum uitium purgatione, quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommodata, corrigitur. Ex his uel cæco apparet, quòd omni repletioni uacuatione ſuccurritur: quodq; curatio dicitur etiam eorum, quæ efficientia ſunt, morborum, nedum generatorum iam morborum, ut declarat Galenus libri de natura humana commentario ſecundo.

Plethoræ uacuatio medetur.

Cacochymia euacuatione curatur.

Curatio morborũ & cauſarum.

Fuchſio reſpondetur.

Verùm hæc Fuchſius, quæ in recẽtiorum medicorum defenſionem produximus, deliramenta uocat. ~~ſolet enim clamoſus crocitator, ubi~~ ſe uictum conſpicit, ad contumelias proſilire. ~~quid faceret aliud?~~ Itaque in ſua fatua Paradoxa congeſſit quicquid illi uiſum eſt, ex Annotatiuncula noſtra boni ſurripere. Cæterùm Petrus Burclardus Germanus primus, ut teſtatur in ſcholijs Therapeutices methodi, Ioannes Agricola, contra quoſdam barbariei atque inconditæ latinitatis architectos (ut eius uerbis utar) repletionum nomina confundentes, enormem errorem detexit. Ex quibus uerbis ſatis apparet impudenter mentiri Fuchſium, qui audenter ſe primum illa enarraſſe iactat. Illa itaque Fuchſio hactenus non fuiſſe intellecta, in præfatis, ut arbitror, ſatis ſuperq; demonſtrauimus.

Diale

Dialexis Secunda

DE MORBO GALLICO, *aduerſus erratum quadrageſimumquintum, & Paradoxum ſecundi libri decimumſeptimum.*

MORBVM QVEM GALlicum Itali, & Parthonopeum Galli, Hiſpanicum uerò Germani indigitant, non eſſe lichenas, ſatis (ut apparet) probauit Leonicenus libro de Epidemia. nec erat quòd Fuchſius cantionem eandem occinens, inanem operam ſumeret, alienamq́; induſtriam ſuis erratis & Paradoxis contaminaret. Nam quòd præfatum malum, nouum morbi genus eſſe aſſeuerat, falſiſſimum eſt. ſiquidem cauſæ illud efficientes, millies poſt mundi initia (ut prædicto libro inquit Leonicenus) extitere: quare ſimile malum ex cauſis ſimilibus etiam ſuperioribus ætatibus contigiſſe par eſt. Nec nouum morbi genus dici poteſt: quia omnia lapſuum genera eadem ſunt ijs quæ uirtutem perficiũt, ut placet Galeno ſecundo artis paruæ. Congerie autem ſymptomatum nouum'ne ſit, adhuc parum conſtat: quando Hippocrates tertio Epidemiarum, affectum ferè ſimilem deſcribit his uerbis: Plurimis horum abſceſſus ad ſuppuramenta concidebant, carniumq́; neruorum & oſſium magni caſus fiebant: quod uerò deflueret puri ſimile non erat, ſed putredo quædã alia, quodq́; defluebat multum & uarium erat. quibus autem horum quid circa

Morbus gallicus lichen non eſt.

Error Fuchſij putantis morbũ gallicũ nouũ genus morbi eſſe.

An congerie ſymptomatũ nouus ſit morbus.

circa caput fieret, capilli totius capitis piliq; menti defluebāt, oſſaq; denudabantur, & cadebant, multumq; fluoris defluebat, quæ cum febre, & ſine febre fiebant, quæ magis formidoloſa erant, quàm periculoſa. Neque iſthuc malum ira Dei euenire (ut quidam opinantur) concederet Hippocrates, ut liquet libro de ſacro morbo. qui etiam, ut ait Galenus primo prognoſt. gloſſa ſeptima, nullam ægrotationis cauſam in deos nullo ſuo in libro refundit. Et mea ſententia ex mala hepatis intēperie calida & ſicca, cerebriq; frigida & humida compoſitum eſt. nanq; in omnibus eo affectis huiuſmodi diſcraſia conſpicitur, quæ propter uim aſtrorum, aut inſalubrem aeris conſtitutionem, aut uitiatum uictus modum, aut propter contagium efficitur.

Morbus gallicus ira dei non prouenit Hippocraticè loquendo.

Morbi gallici deſcriptio.

Humanos quoque contactus mala tanta ſequuntur,
Et iunctus uitium ducit de coniuge coniunx.

Vt canit Samonicus. Ex qua corpus uarijs ſymptomatibus afficientes, corrupti ſucci naſcuntur. totum enim corpus exiguo etiam ſucco in una parte contento affici poteſt, ut apparentibus Galenus monſtrat ſexto de locis affectis. Symptomata autem ſunt, puſtulæ & ulcera, quæ pudenda primùm, dein caput, os, & reliquum corpus occupant. nam pudenda putredini obnoxia ſunt, tum proter naturalem humiditatem, tum quòd excrementorum ſint canales, quinto Therapeutices methodi: tamen non humet genitale, quia neruaceum eſt, tertia Aphoriſmorum, commētario uigeſimoprimo. Item impetigo, depilatio cū porrigine, arthritis, ſphacelos ſeu caries, quæ eſt oſſium ſubſtantiæ corruptela, ſexto Therapeutices methodi, & libro de tumoribus contra naturam. quam præcedit membranæ

Symptomata morbi gallici.

Puſtulæ & ulcera.

Aph:

Impetigo.

Depilatio.

Porrigo.

Arthritis.

Sphacelos.

branæ oſſa tegentis uehemens dolor, & conſequenter eius corruptio, ex quo demum oſſa corrumpuntur. oſſa nanq; ſuis ſpoliata membranis ſyderantur, ut Ariſtoteles refert tertio de natura animalium. Præfato itaque malo nominum diuerſitas impoſita fuit, partim ab his qui eo primùm laborauerunt. Vnde Hiſpanicum, ſi Beniuenio credimus, libro de abditis, merito appellatur: partim à læſa particula, circa quam primò adparere ſolet, quæ eſt mentula, in quam ſic ludit Catullus:

Dolor membranæ oſſa tegentis præſagium.

Vnde nominũ diuerſitas morbo Gallico impoſita.

Mentula mœchatur, mœchatur mentula certè,
Hoc eſt quod dicunt, ipſa olera olla legit.

A coitu enim magna ex parte ortum habet: quocirca mentagra & pudendagra à quibuſdam ſcitè dicitur. Poſtremò etiam à ſymptomatibus, quæ facit, hoc malum ſcienter nominari poteſt, iuxta Galeni doctrinam, ſecundo Therapeuticæ Methodi. & Auicennæ, ſecunda primi phen. quare nunc à pleriſque omnibus depilatio, & à Cãpegio, qui adeò doctus eſt, ut nihil ſuprà, in Lugdunenſi aggregatore lichen uocatur.

Mentagra & pudẽdagra.

Depilatio nũc morbus gallicus dici ſolet.

Ob hoc Campegium Fuchſius, id eſt, ὗς τὴν ἀθηνᾶν reprehendit, atque Galeni locum à nobis nuper allatum ex ſecundo Therapeuticæ Methodi, in ſuam ſententiam trahere ſummo conatu molitur. Sed nebulas, ut conſtat, diuerberat. Inquit enim: Mens Galeni loco citato eſt, quòd morbis quibuſdam à ſymptomatis quæ faciunt, ſint impoſita nomina: minimè autem quòd liceat morbos eorum nominibus appellare, in quos interdum commutantur. Vnde Fuchſium ſic arguere licet: Si lichen fuerit ſymptoma morbi Gallici, hic à lichene ſecundum Galeni dogma denominari poteſt: quemadmodum icterus à luteo cutis colore, morbus regius appellatur, qui pro

Lichen morbus gallicus dici poteſt.

Cõtumelioſa Fuchſij obiectio exploditur.

prie eſt hepatis uel cyſtis fellis mala intemperies, uel obſtructio, ut uidere eſt cùm alibi, tum quinto de locis affectis. At lichenem eſſe ſymptoma morbi gallici argumẽto eſt, quòd iſto affectos morbo lichen magna ex parte concomitari ſolet. A lichene igitur morbus gallicus ſcitè denominabitur.

Lichen ſymptoma eſt morbi gallici.

Verùm ſi ira impedit animum ne poßit cernere uerum: ſanè mirum haud erit, Fuchſium aberrare, quoniã non modò iratus, ſed perinde ac ſi omnibus furijs agitaretur, in nos (quia pro Campegio bellauimus) hoc in loco bacchatim certat, eoq; tandem ſuo ſe gladio Aiacis more confodit.

Ira obſtat animi iudicio.

Dialexis Tertia ſu

PER LEPRAE SIGNIFICATV,

aduerſus erratum quadrageſimumtertium,
& paradoxum libri ſecundi
ſextumdecimum.

ALIVD MORBI GENVS SI-
gnificari uerbo elephantiaſis atq; lepræ in libris Arabū, aliud in libris Græcorū Leonicenus doctè, ut omnia probat lib. de Epidemia, cui Manardus aſſentitur ſecundo, & ſeptimo epiſtolarum libro, quorum placita tranſcripſit Fuchſius: quibus præter ſeſquipedalia uerba nihil addidit. Inquit enim: Cæcutiunt planè medici, qui elephantiaſim lepramq; aliter apud Arabes, aliter apud Græcos accipi non uident. nullam interim præfatorum uirorum mentionem faciens. Nos autem quod illi, alioqui oculatiſsimi, minime animaduerterunt, de elephanto lepræ nomen prædicari, & non ſolū de cutis affectu apud Hebræos, Græcos, pariter & Latinos obſeruauimus. in ſacris etenim literis צָרַעַת, *id eſt, ſarahath, hoc eſt, lepra uitiliginem & elephantiaſim ſignificare, ex Leuitici capite decimotertio intelligitur. Inibi enim lepræ indicia enarrantur, quæ non tantùm coloris cutiſq;, uerùm carnis etiam uitium (quod & hæreditarium eſt, quarti Regum capite quinto, & contagionem præſtat) præ ſe ferunt, eoq; à mundis leproſos ſeparari iubet Moſis lex: non item illos qui ſola ſcabie, aut ſimili cutis aſpredine*

Lepra in ſacris Hebræorū literis elephantum ſignificat. Sarahath.

Lepra & pſora Græcorũ dedecus potius q̃ morbus ſunt

Lepra in Euãgelio non facilis morbus.

Lepra apud Græcos etiã elephantũ ſignificat.

Lepra apud ueteres Latinos elephantiaſim denotat.

(nam lepra & pſora germani ſunt morbi, teſte Aegineta libro quarto) afficiebantur. ſiquidem huiuſmodi affectus potius corporis quid turpe & dedecus ſunt, quàm morbi, ſi Hippocrati uel Polybio credimus libro de affectibus. Qui etiã euangelium Hebraicè Græceq; ſcripſerunt Lucas & Matthæus, lepræ ſanationẽ inter præcipua Chriſti miracula numerant. Ex quo coniectari licet, non facilem eſſe morbũ, qui per lepræ uocabulũ ab Hebraicis Græciſq; denotatur. Iſtis accedit, quod in Græco Micholi etymologico elephantiaſim lepra ſignificat. uerba illius ſic habẽtur: λεπρὸς παρα τὸ λέπος, καὶ συγκοπῆ λεπρός καὶ λέπρα σιμαίνειτον ἐλεφαντιασμον: id eſt, lepros ſiue lepra à lepos leporos, & per ſyncopã lepros ſignificat elephãtiaſim. Huic ſubſcribere Suidas uidetur, leprã genus morbi uocãs, quod, Malchi iudicio, faciei adhæret, uel ſuperfloret. certiora nanque ex facie lepræ ſigna colliguntur, omnium penè Arabum teſtimonio. Vnde uniuoca appellantur, cætera uerò æquiuoca. de quibus in lilio medicinæ ſcienter diſputat Gordonius. ſed Suidæ uerba præſtiterit annectere: λέπρα εἶδος νοσου μάλχος, λέπρα δὲ ἐπηθει τω προσώπω ἀυτου. Apud Latinos ueteres identidem de elephante lepra effertur, quod Scribonius Largus compoſitione ducenteſima quinquageſima indicat, Scabiem, inquiens, tollit ſulphur nigrũ oleo mixtum communi, atq; in cærati ſpiſſitudinẽ redactum. hoc etiam lepram, quam elephantiam dicunt, ſanat. Aemilius quoque Macer idem manifeſtat his uerſibus, cap. de nepta.

Eſt lepræ ſpecies elephantiaſiſq; uocatur,
Quæ cunctis morbis maior ſic eſſe uidetur
Vt maior cunctis Elephas animalibus extat.

Ex quibus

Ex quibus à Crinito uigeſimoprimo de honeſta diſciplina libro, taxatus Valla defendi poteſt. etenim non tantùm propter cutis aſperitatem, quæ in quibuſdam ad ſimilitudinem elephantis ſuccedere conſueuit, ut putat Crinitus: ſed etiam à magnitudine & diuturnitate affectionis, elephantiaſis nomen accipit, ut placet Aetio, ſermone decimotertio. propterea Qu. Serenus Samonicus (quem ſexaginta millia librorum, hoc eſt, ſuam bibliothecam Gordiano ex teſtamento reliquiſſe narrat Stapulenſis noſter in annotationibus octauo Politicorum Ariſtotelis, lapſus eſt, hunc in modum præſagiens: Valla defenſus. Elephãtiaſis nomen unde deductũ eſt. Sereni lapſus. Sereni bibliotheca.

Eſt elephas morbus triſtis quoque nomine dirus,
Non ſolùm turpans infandis ora papillis,
Sed citò præcipitans funeſto fata ueneno.

Eſt enim aliqua lepra, quæ cum patiente eam manet tempore longo ualde, ut dicit Auicenna tertia quarti phen. quippe eſt etiam ſine robore ac ſanitate uis quædam alia uitæ longioris. multi enim abſque uirtutibus corporis diu uiuunt, ut teſtatur Ariſtoteles primo Rhetoricorum. Elephantiaſis præterea Leontiaſis appellatur ab Archigene & Aetio, ſermone nuper allegato, cùm frons ægrorum cum quodam tumore laxior redditur, ad ſimilitudinem pellis flexilis ſuperciliorum leonis. Eadem quoque incipiens ſatyriaſis uocatur. hoc mali, dum incipit, ſatyriaſmum uocant, quia ſatyris ſimiles facie redduntur, ut ait Galenus libro de tumor. contra naturam. & Ariſtoteles quarto de generatione animali. In morbo, inquit, qui ſatyria dicitur, præ abundantia fluxionis aut flatus crudi in partes faciei decumbentis, facies animalis diuerſi & ſatyri apparet. ſuper hæc tamen pudendi præter naturam erectio Lepra ægrotatio ualde chronica. Leontiaſis. Satyriaſis.

Satyriaſis duplex ſignificatum.

ſatyriaſis effertur, ſecundo Therapeutices methodi. Proinde ſatyriaſis, ut lepræ nomen, uarios effectus ſecundum Græcos deſignare conſpicuum eſt. Sed hic uanas irritasq́; conſequentias fingit Fuchſius, quas nobis adſcribere non ueretur, quas etiam explodere inſanus conatur, atq́; non parum multa de Græcorũ euangelio garrit, quæ ſunt parerga.

Vana Fuchſij obiectio.

Parerga

καλ᾽ οὐδὲν πρὸς ἔπος *attinent, eoq́; nobis haud quaquã ſunt controuerſa.*

Dialexis quarta

QVO'D NVMERO INSALVbrium cauſarum admittenda ſit cauſa coniuncta contra erratum quadrageſimumquartum, & Paradoxum Fuchſij primum Libri ſecundi.

CAVSAE CONIVNCTAE definitionem ſecunda primi phen Auicenna (quem hoc loci præter meritum lancinat Fuchſius) mutuatus eſt à libro introductorij uel definitionum, quem in ſuis erratis inter Galeni commentarios adnumerat Fuchſius, & Leonicenus, uir adeo doctus, libro de epidemia. Qui tamen in libros Galeni è Græca in linguam Latinam à ſe tranſlatos communi præfatione, à Galeni placitis alienum retur, cauſam dari coniunctam ægritudinis. In quo inquit: Non ſolùm Conciliator, ſed etiam Truſianus, & omnes medici iuniores decipiuntur, putantes ita apud Galenum, ſicuti apud alios medicos, qui alia dogmata colunt, cauſas coniunctas ægritudinum aſsignari: quum tamen ipſe Galenus in libro, cui titulum fecit, de cauſis continuis, philoſophos Stoicos ſcribat, primos cauſas contentiuas nominaſſe. & Athaneum Ataleum propter eam quam habuiſſet cum Poſsydonio Philoſopho conſuetudinem, primum cœpiſſe de cauſis contentiuis in medicina loqui. Alijs uerò medicis, qui alia colunt dogmata, atque his præſertim qui uolunt diſpoſitionem læden-

tem

Cauſæ coniunctæ finitionē ex Galeno Auicenna traduxit.

Liber de definitionibus Galeni eſſe exiſtimat Leonicenus.

Liber Galeni de cauſis continuis.

tem operationem, & non operationem læſam eſſe ægritudinem, quod eſt ipſius etiam Galeni dogma, non conuenire dicere aliquas eſſe cauſas ægritudinis contentiuas. Vnde Auicenna uiderit, qui ſe Galeni fatetur interpretem, ne male in hoc loco Galenum interpretetur. Qui ægritudinem eodem modo quo etiam Galenus definit, & nihilominus cauſas ponit ægritudinum coniunctas. Hæc Leonicenus. ~~Cuius~~ ſimiolus, ~~uel uerius ſuppilator Fuchſius, cauſam~~ coniunctam à morbo nihil differre, eamq; Galenum ne ſomniaſſe quidem, temere, ut pleraque omnia, affirmat. Quod paucis nunc planum faciemus.

Fuchſius Leoniceni ſimiolus.

Efficiēs morbi cauſa quid.

Effectrix morborum cauſa eſt affectus præter naturam morbum præcedens, actionem corporis lædens, non per ſe, ſed adueniente morbo. libro de cauſis morborum. Hæc autem in externam & internam diſtribuitur, commentario ſecundo libri de natura humana. Illa extrinſecus accidit: hæc ex nobis ipſis profecta, uel in nobis conſiſtit. primo Therapeutices methodi, & libro de cauſis morborum.

Efficientis diuiſio.

Internæ cauſæ diuiſio.

Interna rurſus neceſſariò diuiditur in antecedentem atque coniunctam. nam interna quædam eſt, inter quam & morbum aliquæ interiacent cauſæ: & quædam inter quam & morbum nullæ interiacent cauſæ, ut omnibus in confeſſo eſt. prima horum, cauſa remota à Philoſophis quidem nominatur: à medicis autem uniuerſis præcedens ſiue antecedens. Secunda efficiens propinqua dicitur, quæ in omni re, cuius eſt cauſa, tanquam præcipua inueſtiganda eſt, ut exiſtimat Ariſtoteles cum ſuo Themiſtio ſecundo Phyſicorum. ad hanc enim ſimul atque peruentum eſt, ceſſat quæſtio ea, quæ cur ita ſit, & unde nam à dialecticis nuncupata eſt. Hanc porrò coniunctam appellare nihil prohibet

Cauſa remota ſeu antecedens.

Efficiēs propinqua cauſa coniūcta dicitur.

Cauſa cōiuncta præcipue inueſtiganda.

& rect

& recte (mea quidem ſententia) libri definitionum, & introductorij autor, & apud Dioſcoridem libro ſeptimo Methodici ita deſcribunt: Coniuncta cauſa eſt, quæ cùm præſens eſt, eius quoque effectus adeſt. cùm uerò deſinit, etiam effectus euaneſcit. Ex qua finitione non ſequitur, cauſam coniunctam eſſe affectum principaliter lædentem operationem, ut Fuchſius infert, ſed potius eſſe in actu, & non in potentia, immediatamq; morbi occaſionem, & offenſæ actionis mediatam: ut febris humor putreſcens, mediata cauſa eſt: fumus autem qui à putri humore ſpirat, ſuſtolliturq;, à quo cordis corpus calefit, continens & ſine medio occaſio eſt. Attamen ab hac non ita pendet febris, ut in fieri totam eſſentiam habeat: quum aliquid facti habere omnem morbum neceſſe ſit. quandoquidem omnis res præter naturam, aut ſaltem omnis ægrotatio ens permanens eſt: ut manifeſtat Galenus ſecundo Therapeutices methodi. Quo fit ut præter hecticas plures ſint febres factæ, iſto loquẽdi modo, atque ob id ipſum continuam cauſam in morbis (ut remur) tollit Galenus, libro de cauſis continuis, nobis etiamnum deſiderato. & commentario ſecundo libri de natura humana, in hunc modum diſſerens: Non idem eſt ſi dicas morborum eſſe continentem cauſam repletionem, & euacuationem, ſingulaq; inſequentia, atque ex repletione oriri, aut alia re. etenim eſt uerũ quoſdam morbos generari ex repletione uel à repletione: nihil enim intereſt, hoc an illo modo loquare. At prauum eſt, morbi repletionem cauſam eſſe continentem. nam morbus quidem ipſe affectio quædam eſt in animantis corpore, primò actionem lædens: id quod in libro de morborum differentijs declarauimus

Coniunctæ cauſæ bona deſcriptio cõtra Fuchſium.

Febris

Omnis morbus habet aliquid facti.

Quã ob rem Galenus tollat cauſam coniunctam quod Fuchſius ignorat.

Morbus qd

muſ. At repletio primò quidem functionem nihil offendit, id quod etiam in libro de plenitudine fecimus planum. Verùm altero quopiam intercedente, quod Eraſiſtratus aliter, Aſclepiades aliter, alio etiam modo medici, qui pneumatici ſunt nominati, ſtatuerunt oriri. Hanc nihilominus alibi ut definitionum ac introductorij uolumine definiuit. Illamq; ſtatuere uidetur, primo de cauſis ſymptomatum, dum ait: moleſta eſt pupilla præter naturam exigua. quæ uerò ſuapte naturalis eſt, utilis eſſe cenſetur. Rurſus amplitudo natiua quidem uitioſa eſt, neque uitio caret non naturalis: ſed in hoc ab anguſtia uincitur. quippe continens cauſa, ut ita dixerim, quæ ipſam inducit, rhagoidis tunicæ tentio eſt, cuius laxitas pupillam reddit minorem. Atqui pupillæ amplitudo anguſtiaq; morbus eſt, nam oculi actionem ſeu uiſionẽ primò lædit. Prætereo quòd ſtuporis etiam continentem cauſam declarat Galenus loco nuper adducto, & hemodiæ, libro de præſtantiſſima medicorum ſecta, atque horroris, decimo Therapeutices methodi, hanc eſſe rodentium excrementorum confertim actorum citatiorem motum dicit. Septimo inſuper Aphoriſmorum gloſſa trigeſima, ſpumoſæ pituitæ, quæ morbus in numero dici poteſt (utpotè ſuperfluitas partium toto genere præter naturam) cauſam coniunctam & antecedentem explanat his uerbis: Fiunt aliquando ſpumoſa ſpirituoſo humore ex capite ad uentriculum defluente. fiunt autẽ & uaſis quæ ad ipſum perueniunt, illum effundentibus. fieret etiam quando in ipſo uentriculo unam habens, ut quiſpiam diceret, cauſam contentiuam quomodocunque excernatur, aut fiat, antecedentes uerò plures. eſt autem huius pituitæ cauſa contentiua flatuoſus ſpiritus

Coniunctam cauſam ubi ſtatuere uidetur Galenus.

Coniuncta cauſa amplitudinis pupillæ ſtuporis, horroris hemodiæ.

Spumoſa pituita morbus in numero dici poteſt.

Spumoſæ pituitæ cauſa coniuncta.

tus dum humori commiſcetur, uehementem habens motum & inæqualem: ita quòd & ipſe dirumpitur, & pituitam frangit in multas partes & paruas. Talis uerò motus ipſius eſt cauſa, & propria natura, & nonnunquàm multitudo caloris. ſic & in his quæ elixantur apparet ſpuma, & maxime cùm tenacem habuerint naturam. Ex quibus omnibus euidentiſſimum fit, coniunctæ in morbis cauſæ ullibi Galenum meminiſſe. quod Fuchſius negat, eámq; aliquando ſtatuiſſe. Iam uerò Fuchſius continentis cauſæ falſam eſſe notificationem, quam introductorij definitionúmq; uolumen atq; Auicenna afferunt, oſtendere nititur, tribus argumentis ab exemplis commemoratæ iam cauſæ ductis. Quorum primum: Si putredo cauſa coniuncta eſſet, ut ſentit Auicenna, tunc putredine amota calor quoque febrilis amoueretur, quod non fit. nam ſi fieret, tunc infrigidatio, ultima nimirùm in curatione febris medici operatio, eſſet ſuperuacanea. quam tamen Galenus ut neceſſariam ualde poſt deuictam putredinem adhibendam eſſe paſſim admonet. Alterum Fuchſij argumentum: Euulſo telo uel ſpina uulnus adhuc remanet: telum igitur uulneris cauſa coniuncta non eſt, ceu introductorius aſſerit. Tertium in hanc fit ſententiam: Lapis in ueſica morbus: illum nanq; Hippocrates inter morbos puerorum tertio aphoriſm. uigeſimoſexto, recenſet, ergo in cauſarum numero collocari non poteſt, nec eſſe cauſa coniuncta, ut libro definitionum in exemplo profertur. Vnde qui hoſce libros Galeni eſſe exiſtimant, illos errare colligit.

Argumenta Fuchſij tria cõtra cauſæ cõiunctæ definitionem.

Primum.

Secundũ argumentũ.

Tertiũ argumentum.

Vt compẽdio hæc omnia refellam: etenim ut infirma ſunt, ita multa confutatione non opus habent. Ad primum & ſecundum

Confutatio ſecũdi Fuchſij argumenti.

dum reſpondeo, quòd reſciſſa putredine (quæ cauſa febris coniuncta Auicennæ putatur) neceſſariò calor febrilis qui adhuc fit, terminatur. proinde nullam ille infrigidationem amota putredine exigit. Contrà, qui iam factus eſt calor, ceſſante putredine etiamnum remanet, quòd à nulla dependeat occaſione, eóq; uera curatione ſanari debet. Quæ unam præcipue ac communiſsimam habet intentionem, ad id quod diſpoſitioni auferẽdæ contrarium, teſte Galeno, tertio artis paruæ, quam ob rem infrigidatione tollitur: quam ut neceſſariã ualde, poſt abſciſſam putredinem, adhibendam eſſe mandat Galenus primo ad Glauconem. & undecimo Therapeuticæ Methodi.

Confutatio ſecũdi Fuchſij argumenti.

Non diſpariliter euulſa ſpina aut telo, morbus qui fit, uulnus deſinit eſſe, atque factus efficitur: qui nec cauſam in actu, nec coniunctam obtinet. Hinc coniectare licet, eius quæ fit, ac iam factæ ægrotationis diſcrimen (quod uel medicum tyronem turpiter lateret) Fuchſium ignoraſſe, qui etiam ipſis medicinæ principijs adeo rudis eſt, ut rerũ præter naturam diuiſionem non capiat.

Fuchſius in Medicinæ principijs rudis.

Confutatio tertij argumenti.

quod ex tertio eius argumento claret, in quo id quod morbus eſt in cauſarum numero collocari non poſſe contendit. Atqui ſæpe contingit ut eadem res (diuerſis tamen rationibus) morbus cauſa ſymptomaq́; ſit: ueluti inflammatio ſiue abſceſſus in gutturis uulnere ortus, concauitatem gulæ aut tracheæ arteriæ opprimens, morbi ſeu concauitatis amiſſæ cauſa eſt & quòd morbum ſequatur ſymptoma. quòd uerò actionem primò lædat morbus. ſimiliter de lithiaſi pronuntiandum, quam morbum in numero eſſe nullus neſcit. nec erat quòd in hoc aphoriſmum tertij libri uigeſimumſextum citaſſet Fuchſius, quum Hippocrates libro de calculo puero-

Eadem res morbus cauſa & ſymptoma eſſe poteſt.

Abſceſſus in epiglotidis uulnere.

Lithiaſis.

rum

rum, id ex profeſſo doceat. Idemq; calculus continui ſolutionem efficiens cauſa morbi eſt. quatenus autem à mala renum ſeu ueſicæ intemperie efficitur, ſymptoma. Manifeſtum inde eſt, quòd uel primorum medicinæ theorematum ineruditus eſt Fuchſius, qui nihilominus recẽtiorum medicorum lucubrationes cenſoria quadam uirgula ridiculus notare audet. Præterea coniunctam cauſam eſſe affectum principaliter lædentem operationem ex eius deſcriptione oſtendere fruſtra conatur: nec id magis quidem poſſet, quàm probare cauſam in actu (ea quæ ſimul cum ſuo effectu exiſtit, ſecundo phyſicorũ) & effectum idem eſſe. Itaq; in recẽſendis noſtris falſarius eſt Fuchſius. (nam mediatam febris cauſam humorem putreſcentem, immediatã uerò non calorẽ, ſed fumum diximus.) à quibus quum nulla ſe ratione extricare poßit nebulo, ~~quæritans omnem elabendi uiã, contẽnere quam~~ obiecimus notatiunculã, & uelut nullius momenti aſpernari ſimulat: mox ad conuicia accedit, ~~& rubiginoſis cuncta dentibus~~ rodit. Cæterùm me ſibi fuiſſe iniurium obgannit, & aperti, ſi dijs placet, mendacij arguit, quòd eum ſcripſerim inter Galeni commentarios de diffinitionibus librum numeraſſe.

Coniunctam cauſam eſſe affectum primo lædentẽ actionẽ non probat Fuchſius.

Cauſa actu quid.

Fuchſius falſarius.

Mos Fuchſij.

Verùm quòd falsò queratur de nobis, impudenterq;, ut ferè ſolet, mentiatur, erratum eius quadrageſimum quintum monſtrat, in quo in Galenum autorem præfatum opuſculum refert.

Impudẽs Fuchſij mendacium.

In Galenum autorẽ Fuchſius refert librũ de definitionibus.

Dialexis quinta de CVRATIONE PLEVRITIDIS per ſanguinis miſsionem, aduerſus erratum trigeſimumſeptimum, & Paradoxum ſecundi libri quartum.

BIBLIOTECA COLEGIO DE S. CARLOS

IN ANNOTATIVNCVLA ad Campegium decimanona indicauimus, recentiores Medicos non fuiſſe hallucinatos, ut Fuchſius garrit, ſed recta medendi methodo inſtitiſſe, qui in pleuritide inter initia ſanguinem mittere ex interna oppoſiti lateris uena edicunt. Quod nunc non ſola teſtium autoritate, quorum cæreus eſt naſus, ut prouerbio dicitur, ſed ſolidis rationibus confirmaremus, niſi nos hoc onere leuaſſet Do. Andreas Turinus Piſcienſis, Clementis ſeptimi Pont. Max. & Chriſtianiſs. Francorum Regis ob ſingularem cum probitatē tum eruditionem conſiliarius: quem nuper auditione accepi de curatione pleuritidis per uenæ ſectionem integro iuſtoq; uolumine atque doctè admodum diſſeruiſſe. Quocirca in præſentiarum ſat erit, præfatam annotatiunculam ſubnectere, & quæ illi opponuntur uniuerſa eſſe friuola demonſtrare. Quænam uena in pleuritidis curatione ſecanda ſit, antiqua difficiliſq; quæſtio eſt. Antiquam eſſe palàm liquet, quòd eius (qui ante Galenum floruit) Celſus meminit libro ſecundo. Difficilem quoque faciunt, uariæ ea de re & concertantes illuſtrium doctorum ſententiæ, quas do-

Antiqua & difficilis eſt quæſtio de ſecāda uena in pleuritide.

ctis

ctis diſtinctionibus inuicem concordare operæpretium eſſet, ne mutua diſſenſio ſuſpectas eas reddat. Adde quòd iniquum eſt uni præ alijs abſque demonſtratione fidem adhibere, ut Galenus loquitur primo de alimentis, & de marcore. Hanc lampada tibi trado ornatiſsime Campegi: quoniã πολιύςπως es, & natura πολιγγάφος eſſe uideris. Interea tamen contra Fuchſium (qui ſolo autoritatum aceruo argutari ſolet) Hippocratis uerba ſubiungam, quæ Arabum placita roborare, & recentiorum opinioni quadrare uidentur. Hippocrates enim libro de natura humana, de phlebotomia loquens, præcipit, ut cultellus quàm longiſsimè à loco ubi dolor eſt, & ſanguis cogi didicit, adigatur. & libro de oſsium natura idem imperat, Vena, inquiens, protundatur procul à loco dolore affecto, ſanguinisq; coactione. Attamen non ignoro Galenum in commẽtario libri de natura humana, & ſexto de Hippocratis & Platonis placitis dicere, eam libri partem de natura humana, quæ diſſerit de uenis, ſpuriam eſſe & ſuſpectam, ſimiliter præcepta quæ liber quartus de ratione uictus in acutis morbis continet, non Hippocratis propria, ſed notha eſſe credũtur: quam ob rem, ut illius, ſic iſtius libri teſtimonium (quo Arabes con uincere Fuchſius conatur) æquè parui faciendum eſt. Et nullus (quod ſciam) hactenus dilucidè probauit illos errare, qui in pleuritide plethorici corporis, fluente etiamnum materia, baſilicam ſeu internam, quæ ex oppoſito eſt lateris affecti, incidendam contendunt. Veteres autem aliquot uenam, quæ è directo patientis lateris eſt, ſecare iuſſerunt: quoniam, ut opinor, eorum ſeculo homines in uictus ratione ferè non peccabant; ideoq; plethoricis diſpoſitionibus minus affligebantur, ut Gale

Concertãtes doctorũ ſententiæ cõcordandæ.

Fuchſius ab autoritatibus à ſe non intellectis argutatur.

Pars libri de natu. huma. de uenis ſpuria.

Liber quartus de ratione uictus acutorũ morbor. nothus.

Illos errare qui internã in pleuritide oppoſiti lateris ſecant nullus probauit.

Priſci in uictus ratione nō ſic ut hodie deliquere.

ut Galenus inſinuat ſexto aphoriſmorum, gloſſa uigeſimaocta ua, & libro de intemp. inæqual. id quod Fuchſius nugalis homo uanum eſſe exiſtimat, ut pote eorū immemor quæ de dieta Socratis in primo commentario apud Zenophonem, & de Anaxagora & Epicuro apud Diogenem ſcripta ſunt. qui ueluti libro de natura humana præcitata Hippocratis uerba de ualentibus interpretatur, iuxta Galeni ſententiam, Hippocratem in commentario taxantis, quòd non explicuit an à dolentibus partibus procul reuelli influentes humores præcipiat, an ſanitatis tēpore: ita in illis quæ ex libro de oßium natura produximus, conniuet, niſi pro ſolita ſua in rebus medicis inſcitia putet, ualido conflictata dolore corpora, in ſanitatis latitudine locum habere.

Erratula Gulielmi Puteani.

Chirurgia nō eſt medicina uetuſtior, cōtra Puteanum.

Noſtræ itaq; opinioni controuerſus eſt Puteanus: cuius obiectiones contortas eſſe oſtendam ac diluam, ubi quædam, paucula tantùm de multis, eaq́; breuiter attigero, quæ in Lucubratiuncula de artificioſa uenarum ſectione, gallicè conſcripta, quam totis uiginti annis elaboratam nunc recens peperit, quum celerius Elephanti etiam pariant, non ſatis mihi probantur. In primo quidem capite (nam in ſexdecim diſtributa eſt) antiquiorem medicina chirurgiam faciens, non bene ſentit. Celſiq; abutitur teſtimonio: qui in primi ſui libri prologo, uetuſtißimam chirurgiam ob id uocare uidetur, quòd Podalirium & Machaonem bello Troiano uulneribus tantūmodo, ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit Homerus. At noſſe debuit Aeſculapium Podalirio atq; Machaone priorem fuiſſe Puteanus, quodq́; Aeſculapius ab Apolline patre inſtitutus, perfectam medicinā, & omnibus numeris abſolutam

ſolutam, primus hominibus tradidit, ut Galenus ſeu medicæ autor introductionis teſtatur. Talis autem chirurgia dici non poteſt, tum quòd perfectæ pars medicinæ ſit, ut medicis omnibus palàm eſt: tum quòd ea magis ab Hippocrate quàm à prioribus exculta eſt, ut idẽ Celſus ait in ſeptimi libri proœmio. Hinc etiam claret, chirurgiam, qua priſci uſi ſunt, non prorſus empiricam fuiſſe, ut temere aſſerit Puteanus. etenim ueteres illos medicos ab Aeſculapio oriundos, utpote rationales, impensè laudat Galenus primo Therapeutices methodi, & Aeſculapium ipſum tanquàm numen admiratur, tertio eiuſdem methodi. & libro de libris proprijs, à quo ut à parente nimirum perito, Podalirius atque Machaon fuerunt (ceu credere par eſt)

Chirurgia ueterum nõ erat empirica, cõtra Puteanum.

Morbos edocti pellere ritè malos.

Falſum eſt Ariſtotelem rationalem medicinam non cognouiſſe, ut Puteanus innuere uidetur. adeo enim diligens Hippocraticorum uoluminum lector extitit Ariſtoteles, ut rationum de natura Hippocratis interpres à Galeno dicatur, primo Therapeutices methodi, & ſecundo eiuſdem proximè, ut uiam (quæ inchoata ab Hippocrate eſt) perficeret acceſsiſſe, poteſtateq; abſoluiſſe fertur. Hic etiã medicinã in ſuis Rhetoricorũ, Ethicorũ, Politicorũ, Phyſicorumq; libris, ſcientiam eſſe paſsim inculcat, eamq; ex ijs, quæ de natura ſunt, ſua ſumere principia docet libro de ſenſu & ſenſato. A quibus empirica methodicaq; ſectæ abhorrent, ut ſatis conſtant, utq; libro hereſum & ad Thraſybulum declarat Galenus. Vnde harum ſectarum neutra ars eſſe poteſt. (ars eſt enim habitus intellectus actiui recta ratione factiuus, ſexto Ethicorum) ac

Rationalem medicinam Ariſtoteles non ignorauit, contra Puteanum.

Methodica et empirica ſecta ars nõ eſt.

multo minus chirurgia empirica ars erit: quam nihilominus in numero mechanicarũ artium ſub medicinæ nomine Ariſtotelem collocaſſe ſcribit Puteanus. equidem inter mechanicas artes medicinam numeratam eſſe, in Ariſtotelis monumentis, ut in Puteani Lucubratione, legiſſe non memini. Porrò hic obiter notare placet, medicinæ ſcientiam, Phyſicam, Metaphyſicam, atque Ethicã inter illas ſeptem liberales artes non contineri: quoniam aliud quicquam à ſermone quantitateq́; conſiderant, hæ tamen illiberales artes non ſunt, de quibus loquitur Ariſtoteles octauo Politicorum, quæ corpus, aut animam, aut mentem liberorum hominũ ad uſum & opera uirtutis reddunt inutilem: quin potius æquè animum ingenuum, liberaliq́; ingenio præditos homines decent, atque liberales, quibus etiam dignitate non modò pares ſunt, ſed & ſuperiores. Itaq́; Sermoneta ſecunda primi artis paruæ Galeni quæſtione, medicinæ ſcientiam mechanicam uocans, artem doctrinalem cum mechanica confundit.

Chirurgia empirica inter mechanicas ab Ariſtotele non numeratur. cõtra Puteanum.

Medicina, phyſica, metaphyſica, Ethica liberalibus artibus nobiliores.

Contra Sermonetam.

Chirurgiam quoſdam medicos ad Auicennæ uſque tempora exercuiſſe, ut à Puteano immeritò reprehenſus affirmat Guido, ex Raſis aliorumq́; Arabum lectione manifeſtum eſt. Nec Guidonem Therapeuticæ methodi (quã Galenus edidit) oppido quàm ſtudioſum latere potuit, quòd Galenus Romæ morem inſecutus à chirurgicorum operibus decenter abſtinuit, quodq́; Hippocrates cùm alibi, tum libro iuriſiurandi à chirurgia medicinam ſeparauit.

Guido immeritò à Puteano correptus.

Quum ſanguis euacuandus eſt, & ueremur ne improſperè uenam diuidat chirurgus, altam pro phlebotomia in coxis aut natibus ſcarificationem facere conſulit Puteanus, perinde ac ſi nullus

Phlebotomiæ loco ſcarificatio fieri non de=

ſi nullus in ſcarificatione dolor aut error contingere poßit: ut mittam quòd raró in tam facili phlebotomiæ artificio graue peccatum committere chirurgi ſolent. At ſequi Apemantem & Stratonem uidetur Puteanus, quorũ hoc dogma erat, ſanguinis detractione non uti, propter uenæ perperam diſſectæ incommoda. Hos ridet Galenus libro de ſanguinis mißione ad Eraſiſtratum.

bet propter chirurgi imperitiam. cõtra Putean.

Scarificationẽ cũ cruſta & carraxatione cõfundit Puteanus.

Taceo quòd ſcarificationem cum cruſta & carraxatione confundat Puteanus, & Auenzoar (quem eruditionis nomine ualde commendat Auerrois in ſuis collectorij libris) æquũ magis quàm doctum ſine ratione cenſeat.

Auenzoaris ſcientiã eleuare ſtudet Puteanus.

In ſecundo capite phlebotomiam ex fine ita definit Puteanus, ut finitio pauciora quàm definitum complectatur, ideoq; uitioſa eſt. etenim non ſolùm ad uacuandum, retinendum, diuertendum, aut deriuandum ſanguinem, & mixtos cum ſanguine ſuccos, ſanguinis mißio fit, ut putat Puteanus, ſed etiam quo uitioſi humoris certiorem habeamus notitiam, autore Galeno tertio de locis affectis, hunc in modum ſcribente: Cùm ſperaueris in uniuerſis corporis uenis melancholicum ſanguinem contineri, quo certiorem habeas notitiam, cubiti uenam ſeca, præcipueq; mediam, quæ communis eſt, & ei quæ humeralis nominatur, et ei quæ per axillam ad manum fertur. quòd ſi tum fluens ſanguis non uideatur melancholicus, ſtatim ſupprimatur, ſi uerò talis appareat, uacua quantum pro laborantis coporis habitu ſatis eſſe conieceris. Ex quibus uerbis manifeſtatur, quòd ad tentamentum phlebotomia fit: atque ea utilis eſt, non modò ad melancholicorum, ſed & elephantiacorum dignotionem: ob idq; ſubinde in uſu medicis eſt.

Phlebotomiã male definit Putea.

Phlebotomia ad tentationem interdum fit.

In quibus differant uenæ ab arterijs nō ſufficienter narrat Putea. Omiſit nulla diſcrimina Puteanus, quibus uenæ ab arterijs differunt, quæ uidelicet ab earum origine, officio ac motu deſumēda erant: ſiquidē (ut unum ueluti in tranſcurſu ediſſeram) arteriæ uitali, uenæ autem motu ſenſu non percepto mouentur, libro de tremore palpit. conuulſ. & rigo. uterque tamen Motus uenarum & arteriarum. motus naturalis & uoluntatis expers eſt. primo de motu muſculorum. Præfata igitur diſcernicula uel neſciuiſſe uel illa tacendo præter ſuum morem factitaſſe uidetur. nam digreſsionibus & ultra limites, ut aiunt, ſalire, delectatur Puteanus, plusq; operæ in acceſſorio quàm in propoſito inſumere interdum ſolitus eſt.

Vlcera ſanāda quietē requirunt contra Putea. Certum eſt quòd uulnera & ulcera, quæ ſunt ſananda, quietem requirunt. illis itaque quietē & otium tanquam profutura commendat, & motus tanquam noxios damnat Hippocrates libro de ulceribus, dum ait, Stare, ulceribus minime con- Stare et ſedere motus. ducit, præſertim ſi crura infeſtent. neque ſedere, neque ambulare, ſed quieſcere & otio uacare confert. Vnde ſatis apparet, Nō rectè fal conē taxat Puteanus. quòd non rectè Falconem taxauit Puteanus: quando non ſolùm propter chartilagineam alteram eius tunicam, ſed etiam propter perpetuum motum (ut ſcienter Falco dicit) uulnerata arteria ſanatu difficilior eſt.

Arteriotomia neceſſaria. Arteriotomiam utiliſsimam eſſe Galenus tribus hiſtorijs demonſtrat, in calce libri de curandi ratione per uenæ ſectio- Non minus in arteriotomia eſt inſtituēdus chirurgus quā in phlebot. cōtra Put. nem. & quum ea periculoſior ſit phlebotomia, ut inibi docet Galenus, quodq; ex quinto Therapeuticæ Methodi, & decimoſexto de uſu partium, facilè colligitur, non uideo, quam ob rem chirurgum in arteriæ diuiſione inſtitutum eſſe nolit Puteanus: qui quo phlebotomiæ autorē Capram faceret, ea quæ de Capra

de Capra ſuffuſos habente oculos, octauo naturalis hiſtoriæ, Plinius prodit, à Galeno dicta eſſe libro de præſagio experientia confirmato, ob lapſum (ut arbitror) memoriæ aſſerit. ſed excuſabilis in hoc eſt Puteanus. ita enim Cicero & homines alioqui longè doctiſsimi, uel in nominibus proprijs, uel in librorum titulis, ſolent nonnunquam errare, ut animaduertit Gellius noctium atticarum libro decimoquinto.

Puteanus Galenum falſo citat.

Non rectè ex Auicenna colligit Puteanus, quòd phlebotomia conueniat ſoli medico præſeruanti, & non curanti, & ſoli plethorico, ſed cauillari uidetur, ut Auicennæ uerba ab eo allata palàm oſtendunt. Quæ ſic Latina per Mantinum facta ex quarta primi phen, ſubnectã: Vena autem incidi debet duorum alteri, nempe uel illi qui ægritudinibus obnoxius eſt, in quas corruet ſi eius ſanguis multiplicetur, uel in eas iam incidit, horumq; utrique uel præ ſanguinis exuperantia, uel præ eius malitia, aut propter utrunque uena ſecatur.

Phlebotomia nõ cõuenit ſoli medico præſeruanti & nõ curãti, & ſoli plethorico ſecũdum Auicẽnã cõtra Putea.

Noſtro hoc æuo magis neceſſariam quàm priori tempore phlebotomiam eſſe aſſerit Puteanus, quòd olim homines non ſic, ut hodie, genio indulſerint, in uictuq; deliquerint. At mihi aberrare Puteanus uidetur: nam per intemperantem uictum & ebrietatem frigidi morbi potius quàm calidi excitantur, ut Galenus teſtatur, libro de cauſis morborum, dum ait: Ob eam uerò quæ ſecundo loco diximus cauſam, ſcilicet alimentorum abundantiam, nonnulli apoplexia aut morbo comitiali laborauerunt, aut ſenſus motionisq; incommodum ſubierunt, aut alio quopiam pacto refrigerati ſunt: idq; ob ebrietatem. quamuis uinum, ſi modicè ſumatur, intimum calorem augere poſsit, quippe quod ſit alimentum maxime familiare. Itidem

Noſtro æuo non eſt phlebotomia magis neceſſaria q̃ tẽpore Hipp. cõtra Puteanum.

Alimentorũ abũdãtia & ebrietas frigidos morbos pariũt.

p 3 optimi

optimi ſucci cibus, & qui plurimum alimenti præbere poteſt, ſi animanti immoderatius ingeratur, frigidos morbos excitabit. Idem quoque Galenus tertio de cauſis ſymptomatum, cibi & potus immodica quantitate, ſumptione intempeſtiua & inordinata alteratricem potentiam lædi declarat, & plerunq; magnam crudorum ſuccorum copiam in corpore coaceruari: atque hæc ſanguinis miſsionem nonnũquam dehortatur ut pateſcit nono & duodecimo Therapeuticæ Methodi, & quarto de tuenda ſanitate. Adde quòd priſco ſeculo non deerant primi mittendi ſanguinis ſcopi, morbi uidelicet magnitudo & uirium robur. ~~ille quidem quæ facienda~~ ſunt indicans. hic tanquàm illum haud prohibens. alioqui Hippocrates tam frequenter phlebotomia non eſſet uſus. Adde etiam quòd ſanguinem ad animi defectum uſque detrahere ueteres ſoliti ſunt. quod nunc facere nulla neceſsitudine cogimur.

Copia crudorũ humorũ phlebotomiam dehortatur.

Venæ ſectionem præſtantius ſeu nobilius eſſe auxilium, quàm ſit purgans medicamentum ſine ratione dixit Puteanus. nec iſthuc perſuadere poterit Eraſiſtrato uel Eraſiſtrateis ſicuti nec mihi quod inſuper affirmat, in putridarum febrium curatione ſæpius phlebotomia quàm medicamentis Galenum uſum fuiſſe. nam in febribus putredinis euacuationem Galenus per medicamenta molitur, hoc eſt, per urinam, deiectiones, uomitum, ac ſudorem, undecimo Therapeutices methodi. Itaque non omnes putridas uenæ ſectionem requirere, idem innuit libro de uenæ ſectione aduerſus Eraſiſtrateos, & duodecimo Therapeutices methodi, & primo ad Glauconẽ. nempe in quotidiana & quartana, ac ſyncopali ex copia crudorum humorum, inq; febri puerorum & ſenum uenam tundere

Phlebotomia non eſt nobilius auxiliũ q̃ purgatio. cõtra Puteanũ.

In cura putridarũ non ſæpius phlebotomia q̃ medicamẽtis Galenus eſt uſus: contra Puteanũ.

Putredinis in febribus

dere

dere non licet. deniq; in illis quæ fiunt, à putredine humorum qui plurimum à ſanguine receſſerunt, mittendus ſanguis non eſt, ut elicitur ex quarto de tuenda ſanitate. In omnibus autem alijs à putredine febribus utilis eſt phlebotomia, ut Galenus explicat undecimo Therapeutices methodi, his uerbis: Saluberrimum eſt in febribus uenam incidere, non continuis modò, uerumetiam omnibus quas putreſcens humor concitat, ubi præſertim nec ætas nec uires prohibent. leuata nanque quæ corpus noſtrum regit natura, exoneratáq; eo quo uelut ſarcina premitur, haud ægre quod reliquum eſt uincet, itaque proprij muneris haud oblita, & concoquet quod concoqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni.

euacuatio p medicaměta Non oēs putridæ phlebotomiã requirunt.

Locus Galeni explanatus.

Cucurbitulæ uſum ad ſubcutaneas & ſuperficiales corporis partes expurgandum doctè præſcribit Aliabbas nono practicæ, cum ſcarificatione ſcilicet, qua uenulæ non altæ, ſed quæ circa cutem ſunt capillares, ſecantur. Vnde magis tenuem quàm craſſum ſanguinem extrahere cucurbitula dicitur, quarta primi phen. quòd in commemoratis uenulis non craſſus ſanguis, ſed tenuis contineatur. nec Aliabbati Galenus decimotertio Therapeutices methodi, reclamat, ut autumat Puteanus: illhic enim Galenus de cucurbitula ſine ſcarificatione affigenda, uerba facit, quæ ſunt huiuſmodi: Cucurbitula, nobile planè auxilium, eſt inuenta, tum ut foras euocentur quæ ſunt in alto, tum ut eximantur atque eruantur, quæ iam in ſcirrhum abeunt.

Cucurbitula ſuperficiales corporis partes expurgat, contra Putean.

Aliábbas defenſus cõtra Puteanum.

In ſcabiei curatione phlebotomiam non conuenire falſiſſimum eſt: quod tamen Galenum indicaſſe, quarto de tuenda ſanitate aſſerere audet Puteanus. nam ſcabiei materies, quæ eſt multa

In ſcabiei cura aliquãdo conuenit phlebotomia. contra Puteanum.

multa, craſſa, ſalſa, & immota, ſecundo de cauſis ſymptomatum, aliquando ſanguini admixta eſt, ut ſeptima quarti phen, ritè declarat Auicenna. ſanguinis igitur detractione uacuanda. quod utiq; fieri mandant Serapio ſexto breuiarij, & Theodorus Priſcianus libro primo ad Timotheum.

Ante phlebotomiã nõ eſt purgãdũ cõtra Puteanum.

Itaque ex Galeni ſententia quarto de tuenda ſanitate, ante uenæ ſectionem putat purgandum eſſe Puteanus. At inibi Galenus laßitudinis ſpecies curans, non ſemel, ſed iterum atq; iterum à ſanguinis detractione auſpicatur, dein aluum medicamento deijcit. cuius rationem explanat libro de renum affectibus, in lapidis cura ſcribens in hunc modum: Quinetiam ſi quatuor humores iuxtà abundauerint, potius uena incidenda antè purgationem eſt, quàm purgandum ante uenæ ſectionem. quoniam quidem cùm ſanguinis mißione corpus primò uacuatum eſt, purgans medicamentum exhibitum uenas & arterias & inanes inſuper corporis regiones inuenit non oppletas. quo fit ut abſq; ullo impedimento in totum corpus dimanet, ad attrahendum ſuccos: facilimeq́; fiat eorum euacuatio per uaſorum ſpatia & fuſionem tenuitatemq́; ſuccorum. nam ſi uaſa ſanguine repleta ſint, & purgatiuum dederis medicamentum, non poterit propter plenitudinem in corpus differri. Vnde fit ut ſubſtet, & nihil efficiat, aut ſi quicquàm facit, male faciat. Auicenna etiam quarta primi phen, ubi inquit, Neceßitas nos cogit uenam incidere, & aluum ſoluere, uelut cum ueratro & alijs fortibus medicamentis, tunc à ſanguinis mißione inchoandum eſt. hoc enim eſt Hippocratis præceptum in libro de morbis paßim graſſantibus, & eſt profectò uerum. Itidem ſi cũ ſanguine pituitoſi humores immixti fuerint, quibus fortaſſe uenæ

Vbi neceßitas nos cogit uenã incidere & purgare, tunc à phlebotomia eſt inchoandum.

Sexto Epid. quod confirmat Galenus ſecundo comment.

ſe uenæ ſectio craſsitiem & lentorem addiderit, tunc ab alui ſolutione inchoandum eſt, & , ut ſummatim dicam, cùm humores æquales fuerint, præpone phlebotomiam, deinde euacua: ſed ſi inæquales, euacua prius excrementum donec æquentur, deinde uenam incide. Adhæc ubi præponenda eſt ſanguinis miſsio, & aliquis pharmacum præmiſerit, paucis diebus expectare debet. At cui recens uena ſecta fuerit, & euacuatione indiguerit, exhibere ei pharmacum conuenientius erit: multoties uerò exhibere pharmacum, ubi uenæ ſectio conuenerit, febrē unà cum perturbatione introducit: quæ quidem ſi adhibitis remedijs ſedatiuis, non ſedetur, tunc non ignorabis fuiſſe neceſſarium præponere ſanguinis miſsionem. hactenus Auicenna, cui ſubſcribunt gloſſematarij omnes, ac totus recentiorum medicorum chorus. nec illi reclamat quòd purgatorium pharmacum ante phlebotomiam dandum eſſe, apud Auerroim ſeptimo Collectorij, dixerit Raſes & AuenZoar. Patet enim illos non de forti purgatorio, ſed de leniēte aut mediocri eſſe loquutos. unde obiter euidentiſsimum fit, quòd errores (qui facilè refutari queant) libidine inanis gloriolæ ſibimet confingit Fuchſius, illosq; neotericis medicis, ut falsò ſic impudenter adſcribere audet. etenim paradoxo tertio libri ſecundi, uenam incidere ante purgationem, eſſe contra omnium fermè hodie medicinam exercentium ſententiam aſſeruit.

Cōtra Fuchſium.

In tertio capite ex ramis uenarum ſanguinē mittere nuſquā (ut commemorat Puteanus) Galenus præcipit: ſed longè falli tur opinione ſua Puteanus, quando liene male habente ex lienaria uena, hoc eſt, annularis digiti, uel quæ eſt inter medium & annularem ſiniſtræ manus digitum media, ſanguinem detrahere

Ex ramis uenarū fit ſanguinis miſſio, contra Puteanum.

here iubet Galenus, libro de præſagio experientia confirmato. ſanguinemq́; fluere ſinit, quoad ſponte ceſſauerit: atq; adeo in uetuſto capitis dolore, eam, quæ inter indicem & pollicem ſita eſt, idem ſecare conſuluit, ſanguinemq́; effluere permittit, quoad ſponte conſtiterit. ſatis autem conſtat ex libro de ſectione uenarum huiuſmodi uenas inſigniorum (quæ in brachio apparēt) ramorum propagines eſſe, ut pote cephalicæ, & eius quam uocant Arabes ſceilem.

Sphagites ſomni uenæ rectæ dicuntur, contra Puteanum.

Apopleticas ſomniq; uenas, ſphagitides ſiue iugulares Mundinus in ſuo anatomico libro appellat, non ſomnio ductus, ut dixit Puteanus, ſed recta, quam inibi exponit, ratione.

In cauſo uena nō ſecanda, cōtra Puteanum.

In quarto capite Raſes à Puteano notatur, quòd uenam in cauſo ſecare prohibeat decimoquinto, ut arbitror, Continentis. ubi de uenæ ſectione diſſerit. Raſi adſtipulatur Auicenna phen primi quarta, In febribus, inquiens, uehementis inflammationis non eſt uenæ ſectio admittēda, ob exiccationis (ut ipſe interpretor) periculū. & deinde pauculis interiectis, In uniuerſum, inquit, cauere debes, ne ægroto duorum alterum afferas, uel humorum bilioſorum proritationem, uel frigidorum cruditatem. & paulò inferius, Ferire, ait, uenā cùm non fuerit neceſſarium, bilem incitat, ariditatemq́; linguæ relinquit, & alia id genus. Itaque uiderit Puteanus ne ſimul cum Raſe Galenum medicorum ſummum uellicet: qui primo ad Glauconē, ubi ardentis curationem febris ex profeſſo tractat, hoc auxilij non ab re, ut credere dignum eſt, omiſiſſe uidetur. Alexāder quoque Trallianus ac Aetius quinto uterque ſuæ praxeos libro, Paulusq; Aegineta in ſecundo, ne uerbo quidem meminerunt, uenam in ardentium febrium cura ſcindendam eſſe. nempe ab

humore

humore efficitur cauſων, qui plurimum à ſanguine receßit: uidelicet flaua bile aut ſalſa pituita, in uentris aut iocinoris aut pulmonis uenis efferueſcente, uel putreſcente, teſte Galeno, cùm alibi, tum commentario ſecundo in primum Epidimiarũ, qua ex re niſi ſanguini admiſceatur talis humor, ſanguinis miſſione minime euacuãdus eſt. ſed horum alterum fieri neceſſarium eſt, ſi perfecte morbus ſolui debet, ut ſcribit Paulus, aut bilioſos excerni humores, aut eoſdem extingui. Excernuntur itaque per ſudores, uomitiones, & imum uentrem: extinguuntur autem frigidæ potu. nihilominus haud neſcio Galenum ſynochos inter ardentes febres quandoque numeraſſe: ut refert Raſes decimoſeptimo Continentis, omnemq́; febrem quæ ex ſanguine putrefacto accenditur, bilioſam eſſe exiſtimaſſe, ſecundo de criſib. & differ. feb. quã ob rem ſanguinis detractionem uſque ad lypothymiam pro maximo ardentißimarum febrium (quæ ſcilicet à feruidi ſanguinis copia fiunt) remedio interdum laudat: ut nono Therapeuticæ Methodi, & primo aphoriſm. gloſſa uigeſimatertia, & libro de curandi ratione per uenæ ſectionem. quem æmulatus Oribaſius primo aphor. commento trigeſimoſeptimo, Videamus, inquit, in quibus & qualibus morbis iubet Hippocrates uſque ad animi defectum inanire corpus: nimirum in tribus, in mediorum tumore, cauſone, febre & dolore pedum.

Cauſa cauſi bilis aut ſalſa pituita putreſcẽs in uenis uẽtris, hepatis aut pulmonis.

Cauſi curatio.

Febris ardẽs de ſynocho dicta.

Omnis febris ex ſanguine bilioſa.

Locus Galeni enarratus

In interpellatis febribus in quibus ſanguinis mißio ſalubris eſt, non in particulari febris declinatione, ut cenſet Puteanus, ſed in die potius interiecto ſeu quietis, in quo maius uirium robur ægrotãti ineſſe, rationi conſentaneum eſt, ſanguis mitti debet. Vnde Auicenna quarta primi phen, nec uenæ inci-

Potius in die quietis quàm in febris declinatione uena eſt ſecanda, cõtra Puteanum.

ſio nec euacuatio eſt facienda in die motus morbi: eſt enim dies, qua tum requies, tum ſomnus induci debent, in eaq; ipſe affectus incitatur. Idem confirmat phen quarti prima, in qua etiam febrium tempora doctiſsimè diſtinxit. tantum abeſt ut particularis declinationis ab uniuerſali differentiam non fecerit, ut cauillari uidetur Puteanus.

Calũnia Puteani in Auicennam.

Dimẽſionũ penetratione non poſſe eſſe.

Quum corpus ſubire per corpus nequeat, dimenſionumq; penetratio impoſsibilis ſit(quod ſic probat Ariſtoteles quarto Phyſicorum: Si ponas cribum in aqua, tantundem aquæ cedere cribro perſpicimus. & ita ſi ipſum in aëre locas, quãuis hoc uſqueadeo ſenſui manifeſtum non ſit. item ſi duæ dimenſiones & duo corpora ſe penetrant, cur ſe non penetrant tria, aut quatuor & omnia? par eademq; militat ratio, quæ ſunt impoſsibilia) fieri non poterit, quod affirmat Puteanus, ut aër in corpus per uenæ ſectæ foramẽ fluẽte ſanguine ſubingrediatur

Aër in corpus per uenæ ſectionẽ ſeu foramen ingredi non poteſt.

Foramen uenæ ſectæ delirantium & ſtolidorũ decet eſſe non latum, ut in ſexto capite uult Puteanus, ſed anguſtum, ut præcipit primi quarta phen Auicenna, ne ſanguinis profluuiũ inducatur, propter inordinatos furentium motus, quos prohibere ne uenæ inciſæ ligamenta diſſoluant & abijciant, non ſemper facile: etenim interdum accidit ut cum aſsidentibus colluctentur phrenitici. nonnunquam etiam uſu euenit, ut pro medico fiat palæſtrites, qui inuiſit furentem. quod ſibi contigiſſe narrat Matthæus à Grado in ſuo noni Almanſoris commentario.

Foramen uenæ ſectæ in delirantibus ſtrictum & nõ latũ eſſe debet.

Hallucinatur itidem Puteanus à melancholia naturali maniam fieri perhibens: quæ uel à calida cerebri intemperatura naſcitur, uel à ſuccis mordacibus, qualis eſt præcipue flaua bilis, ſi

A melancholia naturali mania non fit.

lis, ſi Galeno credimus ſecundo de cauſis ſymptomatum, & tertio de locis affectis. Succus, inquit, qui præ aſſata flaua bile naſcitur in cerebri corpore abundans ferina deliramenta inducit. Idem de melancholico humore tradit ſexto aphoriſm. commento quinquageſimoſexto, quum illæ ſupra modum exuſtus & putrefactus, malignam induerit acritudinem.

Deliramenta

Iam contemplandũ eſt, uerum'ne ſit quod adſtruit Puteanus, melancholiam naturalem aduſta craſſiorem eſſe: quoniam ut illa frigidum adſtringens, ita in hac calidũ euaporans craſſitudinis cauſa eſſe poteſt, ut ſecundo prognoſt. gloſſa uigeſima octaua his uerbis ſubindicat Galenus: Bilioſus humor craſſior redditur, propter exuperantiã caloris euaporatus, & tanquã aſſus: pituitoſus propter frigiditatem quaſi concretus.

An melãcholia naturalis aduſta craſſior ſit contemplandũ.

Venæ ſub lingua intra mentum inciduntur, teſte Auicenna phen primi quarta, & non in linguæ radice, ſecundũ quam epiglottis ſitum obtinet. quocirca uel epiglottidis poſitum ſeu locum ignorat Puteanus. uel ſi noſcat, facilime intelliget ridiculum eſſe quod in ſeptimo capite monet, cauendum eſſe, ne in præfatarum uenarum ſectione ſcalpello epiglottida chirurgus offendat.

Venæ ſecantur nõ in linguæ radice, ſed ſub lingua.

In iterata ſanguinis miſſione non qualibet uice minor detractio ſemper fieri debet, prout octauo capite ſentit Puteanus: ſed interdum plus in ſecunda detrahendum miſſione eſt. nam Galenus quarto de tuenda ſanitate in curatione laſſitudinis inflammatiuæ, Optimum, inquit, fuerit bis eodẽ die, ſi fieri poteſt, ſanguinem detrahere, ac plurimum quidem ita mittere expedit, ut animi defectum homo non adeat. ſecundo uerò ne defectus quidem ipſe eſt formidandus, quippe qui priore

In iterata miſſione nõ ſemper minor ſanguinis detractio quàm in prima miſſione fieri debet.

detractione reſolutus eſt, ſecundam ſuſtinere haud poterit. in hac uerò ſi quid tale homini incidit, facilè reuocabitur.

Quãdo ſanguinẽ ſiſtere & non eius miſsionẽ repetere debemus.

Quando pertuſa uena non talis egreditur ſanguis, qualis euacuandus eſt, tum ſanguinem ſiſtere debemus, iuxta præceptum Galeni libro de curandi ratione per uenæ ſectionem. & Auicennæ phen primi quarta, & non ſanguinis miſsionem repetere, ut eodem capite exarat Puteanus. Atque ibi inter cauſas, quam ob rem ſanguinis detractio in plures uices partiri debeat, magnas inflammationes pleuritidemq́; adnumerat, in qua iteratã ſanguinis miſsionem ex uena cubiti lateris affecti eſſe adhibendam putat. Ex quo perſpectu facile eſt, quòd à Galeni dogmate de medendi ratione pleuritidis per uenæ ſectionem, deficit Puteanus. Si quidem partem eam quæ phlegmone obſidetur, tum celeriter, tum quàm cæteras partes magis in acutis præſertim morbis uacuare mandant Hippocrates & Galenus ſecundo de ratione uictus acutorum morborum. Atqui iterata ſanguinis detractio humorem ex inflammatione in uenam ſectam celeriter trahere nullo modo poteſt, ut in confeſſo eſt. Iteratæ nanque miſsionis (per quam intendimus attrahere) terminus eſt, non ſolùm unus dies, ut autumat Auicenna phen præallata, ſed ſecundus & interdum tertius. quod etiam ſatis indicauit Galenus quarto de tuenda ſanitate, hac uerborum ſerie: Quoniam igitur in hac quæ ueluti phlegmone fatigat laſsitudine, uis calidi ſanguinis congeſta in corporis mole eſt, uenæ autem ſectio ſuccos è uaſis emittit, utile eſt poſt priorem detractionem tantiſper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore ſunt humores, remigret in uenas. quod tamen quoniam committẽdum non eſt, ut in his maneat,

In pleuritide iterata ſanguinis miſsio nõ cõuenit.

utpote

utpote ex dimidio corruptum, ſed potius plurimum eius expellatur, idcirco detractione ſanguinis etiam ſecundo die iteramus, aliquando uerò & in tertio, ubi uidelicet & reuellere, & ex alijs in alia transferre, uiſum eſt conducere. Quæ certè uerba credenti iterandam in pleuritide ſanguinis miſsionem eſſe, non magis ſuffragantur Puteano, quàm illa quæ de Stratonico Galeni præceptore & Sabini Hippocratici diſcipulo idem citat Puteanus. etenim Stratonicus non propter inflammationem internam (qua de nunc agitur) ſed ob diuturnum tibiæ ulcus, ex uena in flexura cubiti diuiſa pluribus uicibus ſanguinem craſſum & nigrum detraxit, ut patet libro Galeni de atra bile. & hoc quidem ſcienter & ſaluberrimè factum eſt. Sanguis nanque melancholicus frequentem deſiderat uenæ ſectionē: prout in præcitata phen Auicennæ placet, quam ſtatim alleuiatio excipit.

In redundātia ſanguinis melāchollici iterata ſanguinis miſsio utilis.

In capite decimo ſecandam eſſe in pleuritide uenam in cubito eiuſdem, & non oppoſiti lateris, contra Arabes colligit Puteanus, ex motu morbificæ materiei, qui in bonis criſibus per directum fit. nam in uiſcerum ſub præcordijs exiſtentium inflammationibus, ad latus diuerſum ſanguinem fluere non eſt bonum, ſecundum directum uerò eſt bonum, teſtibus Hippocrate & Galeno tertio de criſibus, & libro de curandi ratione per uenæ ſectionem, partes quæ κατ' ἴξιν, hoc eſt, è directo ſanguinem fundunt, ſummum commodum laborantibus præſtare dicit. Conſtat autem Arabes reuulſionis duntaxat gratia, ex oppoſito ſanguinem detrahere, & naturam in præfatis criſibus non reuellere, ſed prorſus abeuacuare. quare futile in Arabes argumentum facit Puteanus, quem ego malos

Futile Puteani in Arabes argumētum.

uicinos

uicinos habere ſuſpicor: quoniam hoc loci ipſe ſibi tibicem eſt, ſuarumq́; laudum (uerus tamen, ut ſentio) buccinator.

Puteanus fuchſiũ refutat. Puteanus cõtra Curtiũ.

In undecimo capite Fuchſium doctè conficit Puteanus: & contra Curtium inibi uellitans ferme omnia ex Petri Briſſoti uiri inſigniter eruditi (qui olim Italiam petens me Lugduni nobiliſsimum à Turnone dominum curantem inuiſit, humaniſsimeq́; ſalutauit) apologia apertè traduxit.

Puteanus contra Manardũ, Agricolã et Montuum.

In capite duodecimo Manardum & Agricolam perſtringit Puteanus, pluribusq́; aduerſum me probare nititur, illos errare, qui in pleuritide plethorici corporis fluente etiamnum materia, baſilicam quæ ex oppoſito eſt lateris affecti, in cubito incidendam opinantur. Sed rationes quas in mediũ affert, ut quod ſentio ingenuè fatear, mihi ſanè elumbes inefficacesq́; uidentur: easq́; opinionem meam declarando, omnes ad unam facilime ſubuertam.

Opinio Autoris de curatione pleuritidis per ſanguinis miſsionem.

Exquiſitæ pleuritidi, quæ in generatione adhuc eſt, reuulſio & euacuatio competit. illa ob cauſam, quæ defluxio eſt: ut primo ad Glauconem, & ſecundo de locis affectis colligitur. quæ itaq́; reuulſione curatur, quinto Therapeutices methodi. hæc uerò propter humoris in inflammatione contenti uacuationem: eſt enim omnis inflammatio immoderata affectæ partis repletio, tertio artis paruæ. eius igitur ſanatio intentionem habebit abeuacuationem, ibi, & ſecundo Aphoriſmorum commento uigeſimoſecundo. Vnde liquet, quòd præfatæ pleuritidis curatio, mixta eſt, ex ea artis parte quæ prouidet, & ex ea quæ curat.

Pleuritidi fientis cõuenit reuulſio & euacuatio.

In pleuritide quæ fit celerrime reuellere & uacuare oportet, ſi nihil prohibet.

In præfata etiã pleuritide ſi nihil contraindicat aut prohibet, celerrimè, tum reuellere, tum euacuare oportet. nam acuti morbi ad ſuum uigorem celerrimè properant, ſecundo Aphoriſmorum commento uige

to uigeſimotertio, in quo uigore nihil mouendum: ſed melius eſt, ut ait Hippocrates, quietem habere, ſecundo Aphoriſmorum uigeſimonono. Pleuritis autem exquiſita acutus morbus eſt, primo de criſibus, eiq; neceſſariò acuta febris conſociatur, tum propter affectum, tum propter particulæ patientis ſitum, quinto de locis affectis. Iam reuulſio & euacuatio cathartico interdum fit: nam ſi ad eas partes, quæ ſub tranſuerſo ſepto ſunt, dolor afficit, nullumq; ad clauiculam dolor ſignum fecerit, nigro ueratro uel peplio purgare docet Hippocrates ſecundo de ratione uictus acutorum morborum, quamuis Galenus in commentario ab Hippocratis ſanctione recedere uideatur, dum ait: Conſiderare hæc, atq; in memoria tenere nos oportet: ſed non perpetuò in pleuriticis uti debemus ad memoriam reuocantes aphoriſmum illum ubi dicitur: In acutis morbis rarò, & in principijs purgantibus medicamentis eſt utendum. Vbi igitur (inquit) non ſolùm acutus morbus fuerit, cuiuſmodi eſt pleuritis, uerùm & cum febre uehementiſſima, multò magis uitanda eſt purgantis medicamenti adminiſtratio, atque per ſectionem uenæ uacuandum magis: etiamſi ad hypocondrium dolor finiatur. Tantum ualuerunt hæc Galeni uerba, ut recẽtiores (teſte libro tertio Aegineta) omnibus uenam incidant, ueriti turbationem, quam purgatio ſolet accerſire. Alexander tamen Trallianus libro ſecundo ab Hippocrate ſtare uult: atque indignos nomine medici illos cenſet, qui negant purgandos eſſe pleuritide affectos. Raſes quoq; quarto contin. reliquiq; Arabes purgationẽ laudant: quos neoterici ſecuti ſalubriter monẽt, ne fortibus catharticis, utpote elleboro, ſcamonio, dacridio & cæteris id genus, ne'ue ſtipticis

Pleuritis exquiſita acutus morbus eſt.

Reuulſio & euacuatio in pleuritide cathartico interdum fit.

Galenus ab hippocratis ſententia recedit.

Alexander ab Hippocrate ſtat.

Salubre neotericorũ documentũ de purgantibus medelis.

medicaminibus, cuiuſmodi ſunt omnes myrabolanorum ſpecies, purgatio fiat, ſed manna aut caßia nigra aluum mollire mandant, aut rhabarbaro, cuius terreſtris adſtringensq́; ſubſtantia ſputum ne in pleuritide exeat, minime prohibet. illud enim ad aſthma & eos qui circa thoracem affectus contingunt, ualere dixit Dioſcorides libro tertio, & Galenus octauo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, quod etiam notatum eſt à Manardo decimoſeptimo epiſtolarum libro.

rhabarbarũ pleuriticis cõferre poteſt.

Reuulſionis præterea uacuationisq́; gratia phlebotomia etiam fit. quum enim ad iugulum dolor extenditur, aut grauitas uel brachium uel mamillam, aut partes quæ ſupra ſeptum tranſuerſum ſunt, infeſtat: internam cubiti uenam diuidere iubet Hippocrates ſecundo de ratione uictus acutorum morborum, in eo ſcilicet latere quod dolore fuerit affectum, quarto eiuſdem regiminis, hæc nanque pertuſa ſanguinem ab affecta parte magis & uelocius reuellit & euacuat, ut in commentario Galenus enarrat. Idemq́; libro de præſagio experiẽtia confirmato, ac libro de curandi ratione per uenæ ſectionẽ, pleuriticis ſanguinis mißionem è directo laborantis lateris factam, euidentißimam ſæpe utilitatem afferre ſcribit. Iam uerò cùm per uenæ ſectionem reuellimus & uacuamus, ſanguinis & in colore & in conſiſtentia mutatio expectãda eſt. ea ſiquidem pleuritidi peculiaris euacuationis eſt menſura, ut quæ ſanguinis ex particula inflammata tranſlationẽ ſufficienter commonſtrat, prout Galeno placet ſecundo de ratione uictus acutorum morborum, gloſſa decima, qui mutationis in ſanguine cauſam ibidẽ ita explicat: Quicquid ſanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore permutatur: reliquum autem in parti

Reuulſio et euacuatio in pleuritide per uenæ ſectionẽ etiam fit.

In phlebotomia pleuritidis reuulſiua & uacuatiua ſanguinis in colore mutatio expectãda.

Quare ſanguis in colore mutatur.

partibus omnibus ſimile manet, eam ob cauſam ſanguine, qui in totum ſpargitur corpus, pituitoſiore exiſtente, rubicundior ſanè erit, qui in eo quod phlegmone obſidetur latere cõtinetur, quod ſi ſanguis in corpus totum diffuſus, rubidus fuerit: is proculdubio qui ad phlegmonem eſt aduſtus aſſatusq; in nigrum permutabitur, liuidus autem in ea quæ fit à rubido ad nigrum tranſmutatione medium obtinet. Non tamen hæc ſemper expectanda mutatio eſt: ſed interdum antequam fiat, deſiſtendum. Id quod duabus de cauſis contingit, uel ex inflammationis malignitate, quæ nihil remittit, ſed uehementer affixa eſt, uel ex uirium imbecillitate, ut refert Galenus libro de curandi ratione per uenæ ſectionem, & Paulus libro ſexto. etenim ex larga ſanguinis uacuatione (quam ſolam ſequi poteſt ſanguinis in colore & conſiſtentia mutatio, ueluti innuit Hippocrates ſecundo de ratione uictus acutorum morborum, inquiens: Neque dubites copioſum detrahere ſanguinem, donec uel rubicundior multo, uel pro puro rubidoq; liuidus effluxerit) ne uires exoluantur periculũ eſt: præſertim in illis, in quibus uirtus, uel ætas, uel laborantis temperies, uel corporis habitus, uel ambientis conſtitutio tantum euacuare prohibet. Proinde periculoſiſsime errauit Puteanus, qui uenam patientis in cubito lateris in pleuriticis, primus, ut confitetur, in Dalphinatu ſecare iuſsit: quippe candidi & hi in quibus mollis teneraq; caro eſt, quales Galli ſunt, propter corporis habitum copioſam ſanguinis miſsionem non ferunt, ſi Galeno credimus, libro de curandi ratione per uenæ ſectionem, unaq; ſalus pleuriticis eſt, uirium robur, decimo Therapeuticæ Methodi. Nec in pleuriticis euacuationẽ partiri expedit, ut putat cum Briſſo

Duabus tantũ de cauſis ſanguinis mutatio in pleuritide nõ eſt expectanda.

Sanguinis mutuatio in pleuritide copioſam uacuationẽ neceſſariò ſequitur.

Periculoſiſſimus Puteani error.

In Gallis & Dalphinenſibus ſeu Allobrogibus phlebotomia copioſa fieri nõ debet.

Iterata ſanguinis miſſio pleuriticis nõ cõuenit.

In pleuritidis principio reuulſiua ex oppoſito latere phlebotomia ſecura eſt & ſalubris.

to & Fuchſio Puteanus. quandoquidem iterata ſanguinis miſſio ſanguinem à latere inflammatione affecto ocyßime & reuellere & euacuare (iuxta Galeni documẽtum) haud poterit, ut in præcedentibus enodatum eſt. Quam ob rem ubi exquiſita pleuritis fiens eſt, & uirtus imbecilla, aut aliud præfatum uacuationis modum pleuritidi peculiarem uetat, reuulſionis duntaxat ratione uenam incidere facio, in cubito patienti lateri oppoſito: præcipueq; ſi plethoricũ pleuritici corpus eſſet, ceu magna ex parte eſſe ſolet, tum enim ſi brachio, quod recta ab inflammato latere procedit, phlebotomia fieret, & minor ſanguinis copia quàm plethoræ conueniat, detrahatur, nulla affectæ partis fiet exinanitio, quin potius maior fluxio ad latus paſſum trahetur: quoniam quæ ſuperiores coſtas nutriunt uenas capillares, cum illis quæ ex interna uena oriuntur colligantiam habere certum eſt, ſiquidem foras introq; ſpirabile totum corpus eſt: ut dixit Hippocrates ſexto Epidemiarum, & Galenus libro de uſu pulſ. & primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Iure ergo Aetius Amidenus poſt Archigenem ſermone duodecimo, & Gariopontus in ſecundo, Oribaſiusq; in medicinæ compendio ad Euſtachium, atque Manardus, uir adeo doctus, duodecimo epiſtolarũ libro, fermeq; omnes non hemophobi, ſed prudentes & docti, qui uerentur in noſtro climate, & præcipue Gallos, ſemel confertim euacuare, in exquiſitæ principio pleuritidis contrariam patienti lateri in cubito uenam tundere præcipiunt, quorum inſtitutum nuſquam Hippocrates aut Galenus improbauit, ut falſo adſtruit Puteanus: ſed eã, quæ ex brachio oppoſito fit, ſanguinis mißionem poſt temporis interuallum utilitatem afferre memo

Nec Hippocrates nec Galenus in pleuritide eam quæ ex brachio oppoſito fit phlebotomiam improbant.

re memorat Galenus, libro de curandi ratione per uenæ ſe-
ctionem, & de præſagio experientia confirmato.

Plethoram phleboto= miam indica re.

Cæterùm quòd plethora phlebotomiam indicet, nec à me
dictum nec exaratum hactenus eſt, prout confingit Puteanus:
eam nihilominus uenæ ſectionē indicare nihil apparet incom-
modi: quando in curatione mixta ex præſeruatione, atque ipſa
cura indicare plethora uidetur : cùm uidelicet morbifica cau-
ſa exiſtit, ut colligitur ſecundo aphoriſmorum, commentario
uigeſimoſecundo. Accedit huc, quòd plethora ſanguinis miſ-
ſione curatur, decimotertio Therapeuticæ methodi. at omnis
curatio, ſecundo eiuſdem methodi, teſte Galeno, per indica-
tionem fit.

In curatio= ne pleuriti= dis unica phleboto= mia in prin= cipio reuul= ſionis gratia facta ſuffi= ciens eſt.

Itaque in pleuritide prius de parte oppoſita, mox de eadem
ſanguinem eſſe mittendum, nunquam imperauimus, ut etiam
hoc mihi licenter imponit Puteanus: ſiquidem facta in pleuri-
tidis principio reuulſiua ſanguinis miſſione, quod reliquum eſt
inflammationis magna ex parte feliciter per ſputum expur-
gari ſolet: quod ipſe hiſtorijs uel quingentis (ſi more multo-
rum mea conſilia laudare uelim) probare ueriſſime poſſem.

Liber quar= tus regimi= nis acutorū morborū nō eſt Hippo= cratis.

Poſtremò iure optimo (ut arbitror) ſum ſuſpicatus quartum li
brū de ratione uictus acutorum morb. Hippocratis non eſſe.
etenim à tribus præcedentibus & ui interpretationis & theo
rematum integritate longo, ut Galenus teſtatur, diſcedit in-
teruallo. Reliqua Puteani erratula quæ in commemorata lucu
bratiūcula ſunt, præteriui cùm breuitatis cauſa, tum quòd illa
in epiſtola ad Lodouicum Pocardum illuſtriſſimi principis no
ſtri Dalphini chirurgum fuſius explanata ſunt.

Dialexis ſexta de

ENEMATVM VSV IN CALculi curatione, aduerſus erratum quadrageſimum, & decimumquintum ſecundi libri Paradoxum.

Galenus colica deceptus.

AD RENVM CALCVLOS curandum clyſteres benefacere ex multis Galeni locis colligitur: & potiſsimùm ex ſecundo de locis affectis, ubi narrat Galenus ſe à colica deceptum fuiſſe. & quum putaſſet lapidem in altera uretarum impactum habere, ſibi clyſterem ex rutaceo oleo inijcere fecit. Autor quoq; libri de renum affectbus, qui, uti cenſeo, Galenus aut Galenicus eſt, Vacuamus, inquit, per clyſterem excrementa, ne laxo & reliquis inteſtinis conſtrictis grauatisq́; unà quoque ren laborans ſtringatur, preſſeturq́;, atque amplius ſic doleat. quippe manifeſtum eſt, ſtercoris obſeptione renes plerunq; exaſperari, ut compertum ſit, enematis iniectione renalem dolorem eſſe mitigatum, uel quòd ab ea uacuatione ren aliquis non ſit amplius compreſſus, uel quòd ex ſtercore nulli poſtea flatus prodierint, qui in renes potuerint impingere, quibus comprimeretur diſtendereturq́; ren qui imbecillis eſt. & deinde pauculis interiectis ait: Doloribus ſiue repentè ſiue pedetentim in renes incurſantibus ex commemoratis iam cauſis, ilico niſi quid prohibeat, aluum decocto aliquo eluemus: ſicut caricarum, fœnograeci, ariſtolo-

Autor libri de renũ affectibus eſt galenus aut galenicus.

Quare enematibus dolor renũ ſedetur.

chiæ

chiæ & ſimilium. ubi ſi euacuatum ſatis eſt, bene uertit. ſin minus, bis, ter & amplius uacuandum enemate eſt, ſed ex eorum decoctis quæ conducibilia ſunt, & familiaria naturæ ægrotantis, ne angantur grauenturq́; renes, & uiæ urinales. Vnde liquidò patet, quòd frequens clyſterium uſus in his qui nephritide ſeu renum calculo laborant, damnandus non eſt, quemadmodum Fuchſius indoctè aſſeuerat. Non tamen illorum ſententiam probo, qui aſsidua clyſterũ iniectione ægros (ut Fuchſius loquitur) excarnificant. quinimo in primis cauendum eſt, ut Plinij uerbis utar, ex libro naturalium hiſtoriarum decimoſeptimo, ne ex remedijs uitia fiant: quod euenit nimia aut intempeſtiua medicina. Galenus quoque in morborum omnium curatione dextrum uſum neceſſarium eſſe recenſet, ſecundo de conſtitutione artis medicinæ, & libro Therapeutices methodi ſexto.

Bis, ter & amplius in cura calculi enematibus uacuandũ.

Dexter remediorum uſus in omni curatione neceſſarius.

At Fuchſius à quo ut apertum iam eſt, δὶς διὰ πασῶν diſcrepo, me ſecum eadem ſentire dixit: immemor fortaſsis illorum quæ errato quadrageſimo in hunc modũ ſcripſit. Conſultius fecerint medici, ſi uel penitus neglexerint clyſteres, ac balanis, ſeu, ut ipſi uocant, ſuppoſitorijs utantur. Itaque me uoluiſſe aliquid utcunque conſarcinatum producere, ne prorſus tacuiſſe uiderer, qua fronte dicere audet Fuchſius? quum ipſe nil aliud quàm centones conſarcinare ſolitus ſit. nec ſic quidem potuit iuſtum opus conficere, niſi Græcis Hippocratis Galeniq́; uerbis, eiſdemq́; Latinè repetitis (nam omnia quæ adducit, ab alijs iamdiu fideliter uerſa ſunt) chartas repleret, ut ſua Paradoxa in magnum, ut Villanouanus notauit, uolumen excreſcant.

Fuchſius immemor eorũ quæ ſcripſit

Diale

Dialexis ſeptima,

QVOD DYSENTERIA AFFE- *ctis rhabarbarum utile ſit, aduerſus erratum trigeſimumoctauum, & decimum tertium ſecundi libri paradoxum.*

In alui profluuio aluũ ſoluere periculoſum.

ET SI IN ALVI PROFLV*uio aluũ ſoluere periculoſum ſit, ut Oribaſius refert primo euporiſton, & quarta phen primi* Auicenna*: ex accidenti tamen uti uomendo uomitus ſedatur, ſic fluxui fluxus medicari poteſt.* quod Hip*pocrates libro de locis in homine affirmauit his uerbis:* Pro*pter ſimilia morbi gignuntur, propterq́; ſimilia porrecta morbi ſaneſcunt, ſicuti ſi quis medicamentum lubricum porrigat, alui fluor ſedatur, quandoque etiam cùm non eſt, fit.* I*ſtis etiã* Auicenna *ſubſcribit phen tertij, cano. decimoſexto, inquiens:* V*omitus quandoq; prohibetur uomitu, & fluxus fluxu.* Anty*lus item apud* Aetium *ſermone tertio,* In *quibuſdam, ait, uentris profluuijs purgatione utimur: ſæpe enim acres & inutiles quidam humores ſtomachi & inteſtinorum tunicis inſident, qui ueluti acriores glandes, ualidioresq́; ſolent clyſteres, irritant inteſtina, ſtimulantq́;, & ad excretionem cogunt, ſimulq́; humores alios attrahunt à membris quæ circumiacent, & à tota corporis mole.* Hos *igitur meritò purgamus: ut abactis è corpore humoribus, purus reddatur uẽter.* Huc *pertinet, quod ad deſtilla*

Vt uomitus uomitu, ſic alui fluor fluxu curatur.

In alui profluuio quando purgandum.

ad deſtillationes in inteſtina fluentes dare elleborum Aetius *iubet, loco nuper citato. Ex quibus claret quòd in alui profluuio non tantùm rhabarbaro & myrabolanis (quæ comprimendo ſoluunt, ut* Meſues *tradit ſecundo canonum uniuer.) uerùm etiam alijs quibuſdam purgatorijs uti licet. Cæterùm quòd minime omniũ exitioſiſsimũ ſit, nec ueterũ placitis aduerſum dyſenteria affectis purgantia dare medicamenta, ut* Fuchſius *putat, ueterum autoritate & ratione ipſa probare haud difficile fuerit, nã rhabarbarum aduerſus dyſenteriã efficax eſſe* Plinius *commemorat trigeſimoſeptimo naturalis hiſtoriæ, &* Dioſcorides *libro tertio, atque* Galenus *octauo de ſimpliciũ medicamentorum facultatibus. Quibus ratio quoque ſuffragatur: nempe ægritudinis quæ adhuc ſit, quod factum eſt, curare opus eſt, quod futurum, prohibere ne fiat: prohibetur uerò ſublata cauſa efficiente, tertio artis paruæ.* Itaque oportet *ad id quod ſuperuacuum tranſmittit, omnem curam conferre, & de parte affecta tantiſper eſſe ſolicitum, ne quæ confluant promptè recipiat, ſeptimo* Therapeut. Methodi. *Atqui rhabarbarum ueræ dyſenteriæ (quæ eſt ulcus inteſtinorum, nono de compoſitione medicamẽtorum,* κατὰ τόπȣς*) quod factũ eſt, amaritudine detergere, & adſtrictione emandare poteſt, & quod futurum eſt prohibet, ne fiat, cathartica ſcilicet facultate abſcindens fluxionem mordacis ſucci, qui dyſenteriæ cauſa eſt, ſecundo de locis affectis, ut pote qui ab initio & abſtergit, & abradit, deinde temporis tractu ulcerat inteſtinum, ut* Galenus *explicat. Itaque hepar affectum (quod in dyſenteria ſolet mordacem humorem ad inteſtina tranſmittere) purgando & roborando ad temperiei mediocritatem rhabar-*

In dyſenteria purgantia dare ſaluberrimũ.

Rhabarbarũ dyſentericis utile.

barum reducit. demum ne inteſtina fluxionem promptè recipiant, à purgatione haud inſtrenuè adſtringens ſua nimirum adſtrictione uetat. Rhabarbarum *igitur partim quòd ſoluat, partim quòd adſtringat dyſenteriæ confert. quibus etiam nominibus commoda dyſentericis aloë eſſe poteſt, præſertim correcta & tragachantæ conſociata.* Vnde Berit*ij paſtillo ad dyſentericos aloë tragachanta & rhabarbarum unà miſcentur, nono de compoſitione medicamentorũ* κατὰ τόπυς.

> Rhabarbarum torrefactũ plus adſtringit & minus ſoluit

> Canon in aſſatione rhabarbari obſeruandus.

Verùm in dyſenteria quando plus adſtringere & minus euacuare conuenit, torrefacto (iuxta ſalubre recentiorum medicorum mandatum) rhabarbaro utendum eſt, quod tamen modicè aſſari debet, & in hoc tantùm ut igneæ eius partes reſoluantur. Idem *de myrabolanis iuſſerunt: quoniam combuſta omnia nonnihil mordax & erodẽs ignis commercio aſſequuntur, ut ait* Ariſtoteles *quarto* Meteororum, *& ſecundo de partibus animalium. relinquitur enim in illis ueluti* ἐμπύρευμα, *hoc eſt, ut* Galenus *nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus interpretatur, ignitio quædam. Et ne reliquis in dyſenteria catharticis, quorum conſtitutio citra ſcamonium aut dacridion non fit, utamur, plerique omnes neoterici præcipiunt, & in primis excellens doctor* Marcus Gattinaria *olim amicus & collega meus, illorum uſum in dyſenteriæ cura interminatus eſt, cuius hoc in loco lubens mentionem feci, quo mortuum defenderem ab impudorata* Fuchſij *calumnia ita ſcribentis: In dyſenteria ſunt qui diaprunis ſolutiuum & electuarium de ſucco roſarum exhibendum eſſe ſuadent, in quorum albo* Marcus Gattinaria *exiſtit. At ſubteriora* Gattinariæ *uerba mendacij* Fuchſium *inſimulant, quæ capite de dyſen*

> Scamoneata dyſentericis nocent.

> Calũnia Fuchſij in Gattinariam.

dyſenteriæ curatione ſic ſcripta leguntur: Aduertendum eſt ne exhibeantur ſolutiua quæ noceant loco ulcerato, ſicut ſcamonia & omnia ſcamoneata, ſicut diaprunis ſolutiuum, & electuarium de ſucco roſarum. Hæc Gattinaria. Equidem cum Horatio uitioſum eſſe cenſeo, ſtudia aliena reprehendere: atque multo magis uitioſius, alicuius eruditionem confictis erroribus obſcurare & damnare. Fingere qui non uiſa poteſt, hic, ut ille ait, Niger eſt.

Dialexis octaua,

QVOD EVACVATIO MATEriam diminuens etiam non turgentibus humoribus utilis ſit, contra erratum quadrageſimumſecundum, & quintum libri ſecundi paradoxum.

Vacuatio duplex, diminuens & exacta. Vtraq; phlebotomia & purgatione fieri poteſt.

VACVATIO QVAEDAM eſt quæ morbi materiam diminuit, & quædam quæ totam ferè materiam educit. Illam noni Almanſoris & Auicennæ gloſſematarij minoratiuam ſeu diminuentem, hanc uerò eradicatiuam ſiue abſolutam uocant, utraque cum uenæ ſectione tum purgatione fieri poteſt, ut medicis in confeſſo eſt. Euacuationem quæ morbi materiam minuit, qui non turgentibus humoribus, ſed exuberantibus concoctioni præmittunt: Hippocratis & Galeni dogma ſequuntur, tantum abeſt ut errent, ceu Fuchſius opinatur. Etenim Hippocrates ſecundi aphoriſm. uigeſimonono ſcribit: Quum morbi inchoant, ſi quid mouendum uidetur, moue. & Galenus in commēt. Circa initia, inquit, illorū morborum, in quibus ſperatur ægrotum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia, de quibus Hippocrates dixit: Si quid uidetur mouendum moue. Sunt autem hæc maxime, uenæ ſectio, nonnunquam uerò & purgatio, quorum nihil oportet morbo iam conſiſtente adhibere. ut enim in libro de criſibus, manife

Euacuatio diminuens exuberanti humori, licet is nō turgeat, conuenit.

manifeſtauimus, concoctiones tunc maxime fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius eſt circa principia euacuare: quo minorem iam factam materiã poßit natura concoquere. Ex quibus uerbis præfatæ uacuationis nomen & uſum ſumpſiſſe uidentur recentiores. Apparet itaq; quòd natura humorum multitudine grauata ſic imbecillitatur, ut concoquere, niſi diminuta materiæ copia, uix queat. Propterea uenæ ſectionem quæ omnium putridarum febrium materiam minuit, laudat Galenus undecimo Therapeut. metho. ſaluberrimum eſſe inquiens in febribus uenã incidere, non continuis modò, uerùm etiã omnibus quas putreſcẽs humor cõcitat: ubi præſertim nec ætas nec uires prohibent. leuata nanq; quæ corpus noſtrũ regit natura, exonerataq; eo quo ueluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, uincet. Itaq; proprij muneris haud oblita, & concoquet quod concoqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni. Hactenus de diminuẽte materiam phlebotomia. Idem uerò de purgatione & in acutis & in chronicis ægrotationibus indicare poſſumus. Antylus enim atque Aetius in acutis morbis quando materiæ exuberauerint, in principio purgandum eſſe autumãt, ſermone tertio: ut uidelicet minorẽ factam materiam poßit natura concoquere. In diuturnis item affectibus diminuente ante maturationem utriſque bilis & pituitæ purgatione plerunque utitur Galenus. nam adoleſcentem alopecia affectum ſola hiera ex colocynthide bis intra dies quinque purgauit. primum drachmis quatuor, ſecundò quinque. uerùm priuſquam ad has ueniret purgationes, dedit undecim ex aloë catapocia, ciceribus magnitudine ſimilia, primo de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους. Eſt etiam

Coctiones in ſtatu maxime fiunt.

Natura materiæ copia oppreſſa nõ poteſt cõcoquere.

Phlebotomia materiã diminuẽs omnibus febribus ex putredine ortis utilis.

Purgatio in acutis materiã diminuẽs

Purgatio in chronicis morbis materiã diminuẽs

Purgatio exacta in acutis in principio ante cõcoctionem etiã nõ turgentibus humoribus.

interdum cùm in acutis morbis non turgens materia ante concoctionem uel exacte purganda eſt. nempe in laterali morbo, in quo materia non de loco ad locum uagatur, ſed ad determinatam ſedem mouetur, quam tamen nigro ueratro uel peplio ſubducere docet Hippocrates ſecundo de ratione uictus acutorum morborum. atq; adeo Galenus, ex his quibus oculi tentari phlegmone cœperunt, nonnullos ſola purgatione per aluum, uno die ſe innuit ſanaſſe, tertio Therapeuticæ methodi.

Vt plurimũ purgandum eſt ante concoctionem.

Denique plures eſſe affectus in quibus purganda materia non turgens ante maturationem eſt, quàm illi in quibus concocta medicari oportet, celebres Auicennæ expoſitores Gentilis & Herculanus prima phen quarti, aſſeuerãt. Manardus identidẽ decimotertio epiſtolarũ libro, non pedibus (ut dici ſolet) pero natis, in noſtram hanc ſententiã it, quæ adeo ſtabilis firmáq; eſt, tantum abeſt ut leuibus Fuchſij argutijs imbecillitari illa poſſit.

Purgãtia detrhaẽdis humoribus fortiora.

porrò quũ purgantia medicamenta omnia detrahendis humoribus ſint fortiora, ideóq; humores attrahunt, non item ab humoribus attrahuntur: ut enucleat Galenus tertio de ſimplicium medicamentorũ facultatibus,

Ridiculum Fuchſij argumentum.

ſanè ridiculum eſt quod trudit Fuchſius, medicamentum materiam diminuens eſſe tam imbecille, ut crudos humores tantùm mouere & non educere poſſit. atq; hæc minime produxiſſet Fuchſius, ſi uel per ſomnium (ut prouerbio dicitur) cum doctis medicis fuiſſet uerſatus, quibus nouum non eſt, purgatoria uti medicina quæ ſit, ut Auicennæ uerbis utar, fortis uno modo, & debilis alio modo.

Purgatiuum forte debile

Diale

Dialexis nona, quod

IN TERTIANA FEBRI

purgatio conueniens ſit, & magna ex parte neceſſaria, contra erratũ quadrageſimumnonum, & nonum ſecundi libri Paradoxum.

Putridæ febris cura eſt malæ temperaturæ fientis curatio.

PVTRIDARVM FEBRIVM *curatio eſt malæ temperaturæ fientis ſanatio. nam omnis morbus, qui eſt qualitatis alteratio, ſiue immaterialis ſiue materioſus ſit, ſub malæ intẽperiei morbi genere reducitur. ſiquidem ſimpliciũ morborum genera duntaxat tria eſſe ſecundo* Microtechnes, *& libro de differentijs morborum, & ſecunda primi phen pateſcit. & febris omnis eſſentia in genere caloris præter naturam continetur, primo de differentijs febrium.* Malæ autem *temperaturæ fientis, quoniam ea morbus non eſt, niſi ſecundum partem, ut colligitur ſecundo* Therapeutices *methodi, & tertio artis paruæ (unde libro de phlebotomia febris pathema fortaßis dicitur) curatio non eſt uera, ſed mixta ex uera, quæ maxime in ſoluendo morbo intelligitur: & prouiſione, cuius officium eſt cauſam, quæ morbum creat, adimere, ut ediſſerit* Galenus *undecimo* Therapeutices *methodi, & tertio artis paruæ. Indeq; intentio duplex oritur, una quæ febri, altera quæ cauſæ efficienti contraria eſt.* Aduerſa *febris intentio*

Morbus qualis alteratio ad malã intemperiem reducitur.

Simplicium morborum tria genera.

Mala intemperies fiens nõ eſt morbus niſi ſecũdũ partem.

Fienti morbo uera cura nõ conuenit, ſed mixta.

Intentio in cura febris fiẽtis duplex

tentio eſt alteratio ad frigidum & humidum. eſt enim febris calida & ſicca paßio, primo Aphoriſmorum commento decimoſexto, eoq; primo de morbis ſcribit Hippocrates, Qui calida febre moriuntur, omnes ſiccitate pereunt. nanque immodica caliditas reddit corpus ſiccius, teſte Auicenna prima phen primi. Contraria cauſæ efficienti intentio, aut alteratio eſt, quæ putredinem finiat manente adhuc ſubſtantia, aut euacuatio, quæ totam ex corpore cauſam educat, ut edocet Galenus tertio artis paruæ, atque ibi unamquanque cauſam reſcindere præcipit. deinde ad illam quæ ab eadem cauſa facta eſt, ægritudinem accedere. & undecimo Therapeutices methodi, Non poteſt, inquit, ad perfectionem ullus affectus ſanari, manente adhuc ipſa, unde natus eſt, cauſa. Ex quibus colliqueſcit recentiores medicos non aberrare, qui medicamentis febricitantes tertiana exquiſita purgant. & licet iſtos alteratio plus iuuet, quàm euacuatio, ut ſcribitur primo ad Glauconẽ, inutilis propterea euacuatio non eſt. Iſtis accedit, quòd Galenus non de purgante medicina ibi loquitur, ſed de euacuatione, quæ per marinas aquas, & alteratione, quæ dulcibus aquis fit.

Contraria cauſæ efficiẽti intentio aut alteratio aut euacuatio.

Inſtat Puteanus me cum Fuchſio Andabatarum more pugnare: quia tandem cum eo hoc loco bene dicente concludam. ſed mihi Puteanus lolio (ut dici ſolet) uictitare uidetur. nam quæ ex diametro pugnant, eadem eſſe exiſtimat. ſatis enim conſtat, quòd in febri, maxime uerò Tertiana, purgationem incommodam eſſe contra recentiores medicos, Celſi, Galeni & Oribaſij teſtimonio monſtrare conatur Fuchſius errato quadrageſimonono. Itaq; ut ridiculum ita otioſum eſt, quod Fuchſius in ſui defenſionem nono ſecundi libri paradoxo, non purga

Inſtãtia Puteani et eius ſolutio.

Ridiculoſa Fuchſij reſponſio.

purgationem, ſed immodicum purgantium medicamentorum uſum ſe damnaſſe cauſatur, quum nullus recentiorum ignoret, id docente Hippocrate ſecundo Aphoriſmorum quinquageſimoprimo, monſtranteq́; ipſa experientia, omne nimium eſſe naturæ inimicum.

Inſurgit præterea Puteanus, & ſibi conſueta latiloquentia contra nos ſic argumentatur: Miramur cur Montuus malam temperiem fientem non dicat eſſe morbum, niſi ſecundum partem: quum dicat eam egere cura mixta. ſi enim præfata temperatura eget cura mixta, ergo morbus eſt qui fit, habens aliquid morbi facti & aliquid futuri: & non morbus ſecundum partem. nunquam enim memini me legere apud Galenum morbos ſecundum partem. Sed primum meũ aſſumptum oſtendo, quia omnis affectus, qui ut auferatur, cura mixta eget ex uera & prouiſiua, eſt ſimpliciter & abſolutè ægritudo fiens, habens rationem morbi facti, cui competit uera cura: & futuri, cui competit prouiſio. ſed in putrida febre mala intemperatura fiens eſt affectus, qui, ut tollatur, cura mixta præfata eget, ſecundum Montuum. ergo mala illa intẽperies fiens eſt ægritudo, quæ fit habens rationem &c. conſequentia eſt in prima figura. Male igitur Montuus negat eandem malam intemperiem eſſe morbum, niſi ſecundum partem: quia eſt morbus, qui quia fit, propterea partem aliquam ſemper habet morbi facti, à qua dicitur morbus: & aliquam futuri, quandiu fit, ut uidere eſt non ſolùm ex Galeno tertio artis paruæ, ſed ex Ariſtotele ſexto Phyſicorum. Dico inſuper, quia morbus omnis qui fit, licet ſecundum Ariſtotelem & Galenum aliquid ſemper habeat facti & aliquid futuri, morbus tamen fiens denomina-

Secunda inſtantia Puteani.

Syllogiſmus Puteani.

tionem magis ſumere debet, ſicut & omnis motus à termino ad quem talis motus alteratiui: quia rationem habet finis, id eſt, ab eo quod factum eſt: non à termino à quo. Hoc colligitur etiam ex Ariſtotele ſexto Phyſicorum, ſicut cùm aliquid nigrum dealbatur, hic motus dealbatio uocatur: nec uocatur denigratio à termino à quo talis motus. ſic febris non à calore dicitur, ſed ab incaluiſſe. propterea denominatio morbi ſicut ſumitur à termino ad quem talis motus, ab eo quod factũ eſt: ſic curatio morbo fienti adſcribitur, ratione eius quod ex eo factum eſt: prouiſio, ratione eius quod futurum. Ex quo patet quomodo abuſiue Montuus dicat, putridarum febrium curationem eſſe malæ intemperaturæ fientis ſanationẽ: quia ſanatio facto morbo potius quàm fienti adſcribitur, & futuro prouiſio. licet Galenus utranque & ueram curam & prouiſionem ſæpius confundat. hæc Puteanus.

Inſtantiæ di lutio.

Verùm nihil produxit quod nobis aduerſetur, ut palàm eſt. unde ut otioſe ita inaniter altercatur. nam malam intemperiem fientem morbum eſſe, quodq́; curatio morbo fienti adſcribitur ratione eius quod factum eſt, in præcedẽti annotatiuncula haudquaquam negauimus. Iam non ſibi conſtare in hac inſtantia uidetur Puteanus. etenim quòd morbus ſecundũ partem is qui fiens eſt, non recte dicatur, contendit: mox fatetur, quòd morbus qui fit, partem aliquam ſemper habeat morbi facti, à qua dicitur morbus: & aliquam futuri, quamdiu eſt fiens. Ex quo intelligere promptum eſt, quòd morbum fientem eſſe morbum ſecundum partem latẽter indicat Puteanus. ſiquidem à parte futuri morbi morbus fiens morbus non eſt: quoniam ex permanentium conſtantiumq́; numero eſt omnis

Puteanus inaniter arguit nec ſibi conſtat.

morbus

morbus, ut ex ſecundo Therapeutices methodi, notatiuncula decimaſexta propalauimus. Relinquitur ergo quòd à parte morbi iam facti fiens morbus ægrotatio ſit: quod etiam fatetur Puteanus. Atqui nihil refert (ut arbitror) ſi ita enunties: Morbus fiens eſt morbus à parte. uel ſi ſic: Morbus fiens eſt morbus ſecundũ partem. Item hallucinatur Puteanus, quoniam non omnis affectus, qui, ut auferatur, cura mixta eget ex uera & prouiſione, eſt ſimpliciter & abſolute morbus fiens, habens rationem morbi facti, cui competit uera cura: & futuri, cui competit prouiſio, ut uult in ſyllogiſmi maiore Puteanus. dolor enim à mala temperatura fiente factus, qui non poteſt ſanari, niſi prius cauſa eius curetur, eſt affectus, qui, ut auferatur, cura mixta eget ex uera & prouiſiua. nam hæc mixta curatio intemperaturæ fienti conuenit, qua manente non poterit dolor curari: quia teſte Galeno non poteſt ad perfectionẽ ullus affectus ſanari, manẽte adhuc ipſa, unde natus eſt, cauſa, undecimo Therapeutices methodi. at dolor fiens morbus non eſt: nec morbus quidem, ſed tactus ſymptoma exiſtit, ſi Galeno credimus libro de differentijs ſymptomatum. igitur actio offenſa, quod etiam ſubindicat Galenus duodecimo Therapeutices methodi, ubi enumerat ſymptomata quæ ſolicitudinem medici ad ſe conuertunt, affectumq; aliquando deſerere cogunt. & hinc manifeſtum fit, quòd præfata ſyllogiſmi maior latius patet, quàm morbus fiens, qui à clariſſimis doctoribus Dino, Bentio & Optato in ſuis medicis quæſtionibus definiri ſolet in hunc ferè modum: Morbus fiens eſt affectus præter naturam, à quo actio primò uitiatur, dependens in eſſe & conſeruari à ſua cauſa extra eſſentiam ſui ſubiecti, in quo eſt, ſpe

Morbus à parte dictus uel ſecundũ partem.

Nõ oĩs affectus cura mixta egens ut auferatur eſt morbus fiens.

Dolor morbus non eſt, ſed ſymptoma & actio læſa.

Morbus fiẽs quid.

Morbus fiẽs eſt uocãdus morbus factus, ſecundũ Putean.

eſt, ſpeciali dependentia. Iam uerò ſi morbus fiens denominationem ſumere debeat ab eo quod factum eſt, ut dixit Puteanus, morbus ſimpliciter, uel morbus factus, & non fiens, uocandus eſſet. neq; tamen ignoro totum à parte aliquando denominari, non in entibus modò quæ fiunt, ſed etiam in permanentibus: quod ſuprà Zenonis definitione exponit Galenus quarto de differentijs pulſuum.

Totũ à parte aliquãdo denominatur.

In exemplo ſunt, ſimus homo, Aquilus, cæſius, χαροπὸς, id eſt, flauis oculis, caluus.

Inepta Puteani ratiocinatio.

Poſtremò ineptiſſime colligit Puteanus me abuſiue dixiſſe, putridarum febrium curationem eſſe malæ intemperaturæ fientis ſanationem: quia ſanatio facto morbo potius quàm fienti adſcribitur, & futuri prouiſio. Concluſio enim non neceſſariò ex antecedente iſto ſequitur. quod in præſenti annotatiuncula iam expoſui hoc pacto ex Galeno:

Vera cura facto iam morbo adſcribitur, ſed fienti curatio mixta

Sanatio facto morbo potius quàm fienti adſcribitur, ſcilicet uera. Contrariũ de mixta curatione affirmandum eſt, quæ non facto morbo, ſed tantùm fienti, & conſequenter cuilibet febri, quæ ex putreſcente excitatur humore, apta idoneaq; eſt, ut ediſſerit Galenus undecimo Therapeutices methodi.

Puteanus cauillari gaudet.

Quapropter mirari ſoleo, quid cauſæ ſit, quam ob rem Puteanus ſic cauillari (quod profectò eius grandæuam ætatem dedecet) & uaga oratione, quæ nihil habet cum reliquo argumento commune, uti uoluerit, non ſolùm in nos, uerùm in Horeum etiam ipſum, qui probaturus maculas ſeu ſtigmata pulicum morſibus non diſſimilia, quæ in cutis ſuperficie per febres peſtilentes illo anno comparebant, morbillos uocatos non fuiſſe, obiter meminit curatricis methodi, qua in cuiuſdã iuuenis picrocholi peſtilenti notha atq; continua tertiana uſus eſt. uerba eius ſubnectam:

Methodus

Methodus omnis per indicationem fit, ſecundo Therapeuticæ methodi, & prima indicatio ab affectu deſumenda eſt, tertio eiuſdē methodi. Affectus autē uel fuit mala complexio materioſa (hoc dico propter gloſſematarios, qui ambigũt an febris ſit calor qui eſt qualitas prima, an mala tēperatura) uel ad illam reduci debet, quia lapſuũ genera eadem his ſunt, quæ uirtutem perficiunt, ſecũdo artis paruæ. proinde affectus indicauit, utendum eſſe non ſolùm curatione uera, quæ maxime in ſoluendo morbo intelligitur, ſed etiam mixta ex prouiſione, quæ competit cauſæ efficienti, & uera, ut colligitur undecimo Therapeuticæ methodi, & ſeptimo eiuſdem, & tertio artis paruæ, quam ob rem morbo contraria ut pote alterantia frigida conſuluimus. nam à morbo indicatio quæ ſumitur eſt contrarietas, tertio artis paruæ, & undecimo Therapeuticæ methodi. & humida, omnis febris qua febris eſt, refrigeratio & humectatio remedia ſunt, nono eiuſdem: Febris enim calida & ſicca paſſio eſt, primo aphoriſm. commentario decimoſexto: unde qui calida febre moriuntur, omnes ſiccitate perire inquit Hippocrates, primo de morbis. Ad cauſam efficientem contraria etiam ordinauimus. ſiquidem omnes cauſæ morbificæ per contraria etiam curantur, ſecundo aphoriſm. commentario uigeſimoſecũdo. Nec eſt quod aliquis obijciat, quod nulla cauſa indicat, quia externa tãtùm ad affectus cognitionem conducit, & non ad curationem, quarto Therapeuticæ methodi, & quinto de tuenda ſanitate, & interna prouidentiæ tantum præſtat indicationem, duodecimo Therapeuticæ methodi. quæ omnia fatemur uera eſſe in curatione uera. non item in ſanatione mixta, ſiue in morbis factis iſthæc intelligen

Verba Horei.

Indicatio ab affectu in tertiana notha cõtinua.

Indicatio à cauſa in prædicta febri deſumpta.

An cauſa indicationem præſtet.

da ueniunt. non item in his qui adhuc fiunt, præter hæc à ſym ptomatibus, non tamen quatenus ſymptomata ſunt, ſed ex accidenti indicatio aliquãdo deſumenda eſt, iuxta illud: Actionum offenſæ ſi contriſtant, ſolicitudinem medici ad ſe conuertunt, affectumq; deſerere cogunt, duodecimo Therapeuticæ methodi, &c.

Indicatio à ſymptomatibus in iã dicta febre nõ omiſſa.

Hactenus perſpicua breuitate ſuam Horeus diſſertationem expoſuit, in quam Puteanus prolixe & moleſta quadam uerborum iteratione, ſic ait: Horeus hoc ſuo diſcurſu aberrat ſanè, quia febrem non ſimplicem ſed putridam atque adeo tertianã nothã iuuenis & bilioſi curare docens, in generaliſsima tamen febris putridæ curandæ indicatione remanſit, Methodicorum more, quos ob id Galenus ſtupidos uocat, quia artis theoremata putant eſſe ſtata & indicationes uniuerſales: uelu ti quòd omnis febris frigidis & humidis debet curari. propter ea his uniuerſalibus præceptis contẽti curare ſe poſſe omnem febrem exiſtimant. ſimili etiam modo medicus ille Horeus, ſolis frigidis & humidis primò, & alijs quæ cauſæ contrariantur ſecundò, febrem tertianam notham curare docet, indicatione ſumpta à febre generaliſsima ſola, & poſtea à cauſa. quo ſuo conſilio rationalis medici decreta infringit. rationalis ſiquidem medicus non contentus generali indicatione morbi curandi ad particularia deſcendit, genera ipſa in ſuas ſpecies, & has in alias, ut docet Galenus ad Glauconem, diuidendo, & à communitatibus ad cuiuſque hominis ægrotantis idioſyncraſiam deſcendendo, & tandem à morbi natura per diuiſionem inuenta agendorum indicationem ſumendo: per uarias enim circumſtantias affectus curandi & corporis affecti & alias diligen

Oppoſitio Puteani in præſcripta Horei uerba.

Rationalis me[illegible]

diligenter excuſſas medicus dogmaticus colligit, tandem qua methodo indicationi generali curatiuæ morborum ſatisfacere poßit, quam ſolà methodicus ſufficere putat methodo therapeuticæ. præterea iam dictus medicus præpoſtero ordine frigida & humida, indicatione ſumpta à febre, non à cauſa primò conſuluit, licet poſtea cauſæ prouidere conetur. Frigida ſiquidem & humida quæ primò danda præcipit, indicationem quæ cauſæ prouidet, euertũt prorſus, quia cauſam febris præfatæ obſtructionem ſcilicet & putredinem fouent, licet per ſe febri contrarientur. Vnde hoc ſuo conſilio dictus medicus utranq; indicationẽ, & quæ cauſæ prouidet, & quæ uerè morbum curat, deſtruxit, non intelligẽs quo ordine cura mixta ſit moderãda, & quibus competat morbis. duplex igitur peccatũ committit, tum primò quia febri indiuiduæ ſaltem primò & per ſe, & compoſitæ, utpote putridæ, tertianæ, nothæ, quæ prophylaticen ueræ ſuæ cauſæ additam uoluit, ſimpliciſsima remedia, quæ duplici eius febris curandæ indicationi aduerſantur, conſulit frigida & humida, quia ea indicationi, quæ cauſæ prouidet, à qua fuit incipiẽda curatio, aduerſantur. tum ſecundò, quia præfatæ febris curã orditur contra Galeni methodum, non à cauſa, ſed indicatione ſumpta à morbo. Incipienda enim curatio fuit à cauſa, non ſolũ tertianæ nothæ, ſed & omnis putridæ febris, atq; adeò morbi fiẽtis omnis, niſi uel propter febris uehementiã, uel propter aliquod graue ſymptoma alia indicatio aliter procedendũ præſcribat. ſublata enim humoris febris putridæ abundantia, ſi opus ſit, detergenda & incidẽda eſt humoris, tum lentitia, tum craßities, ut auferatur obſtructio: qua ablata debita excipitur humorũ euẽtatio, hu-

moribus

moribus igitur bene euentatis putredinem ceſſare eſt neceſſe. poſt igitur à febre putrida omnem ablatam putrefactionem, non uideo quæ febris, et ſub quo genere febris relinquatur frigidis & humidis curanda. quippe autore Galeno *libro octauo methodi, febris omnis quæ adhuc in generatione eſt, ueluti eſt putrida omnis dum aufertur cauſa, ipſa febris unà cum cauſa eius ablata interit.* Ex *his quæ diximus patet, frigida & humida licet febri primò & per ſe ſint contraria, & eandem curent, ipſa tamen humorum craſsitiem augent, & obſtructionem, putredinem & febrem. frigida enim licet ſint febris remedia perpetua, non tamen humorum putreſcentium, autore* Galeno *undecimo methodi: quia enim putredinem potius augent, autore etiam* Alexandro *prima ſectione, problemate nonageſimoquarto, propterea augent & febrem. unde quia febris putridæ cauſam immediatã, putredinem uidelicet fouent frigida & humida: propterea febri eidem curandæ non conducunt. id enim eſt commune præceptum in arte medica, ut unamquanque cauſam prius præſcindamus, deinde ad illam, quæ facta eſt, ægritudinem accedamus.* Inartificioſe *igitur* Horeus *frigida & humida febri ſæpius dictæ conſuluit. nam &* Galenus *libro primo ad* Glauconem *longe aliter faciendũ iuſsit in febris tertianæ nothæ cura, dum calida & ſicca febri eidem conſulit, & prohibet frigida & humida, indicatione habita, ad cauſam febris, non ad febrem.*

Conſiliũ medicinale unde ducendũ.

Hanc obiectionẽ refellere ſuperuacaneũ fuerit, nihil enim Horeo *refragatur: ille ſiquidẽ in ſua diſſertatione ex profeſſo agit de ſtigmatibus in febre tertiana notha & continua natis, & non de febris curatione, eoq; conſilium ſpeciale curatiuum*

(quod ex

(quod ex methodo medẽdi oriri debet) non expoſuit, ſed ſolã methodũ præfatæ febris therapeuticam explicuit, ne nimium à re propoſita, ut Puteanus ſolet, digrederetur. unde quid ſit medicinale conſilium uel plane neſcit Puteanus, uel ſe ignorare ſimulat, ut profuſius in Horeum calumniari poſſit. Itaque prædictam methodum duxit Horeus à curatiuis indicationibus. Indicationes autem deſumpſit à rebus, quæ ſunt præter naturam, omnibus recte diuiſis, iuxta Galeni præceptionem primo ad Glauconem. Item ex his quæ ſecundum naturã ſunt: alioqui fruſtra uirium, ætatis, & tẽperamẽti ægrotantis meminiſſet Horeus, niſi ex iſtis proprietatibus indicationes accipiendas eſſe innueret: præcipue uerò in propria curatione, quæ ſcitu utiliſſima Galeno putatur tertio Therapeutices methodi, ſed incipienda ~~curatio fuit, non à febre, ait Puteanus,~~ ſed ~~à cauſa. Reſpondeo quòd iſthuc~~ perpetuo uerum non eſt, uti Galenus aperte docet decimo Therapeutices methodi, ubi totam deliberationem in tria hæc exiſtimanda diuiſit: febrisne ſola curanda ſit, non ſolicitis de cauſa, an cauſa oppugnanda minime curantibus de febri. an plurimum quidem remediorum ad alteram earum ſit adhibendum, non tamen altera neglecta. quem ſequutus Auicenna phen prima quarti, Scias, inquit, quòd intentio in medendo putridas febres eſt diuerſa. quandoque enim uertitur ad partem febris: quare eſt neceſſarium ut infrigidetur & humectetur, quandoque uertitur ad partem materiæ, ubi neceſſe eſt ut digeratur aut euacuetur. & quandoque ſunt contraria illa quæ requirit febris de infrigidatione, & quæ requirit humor de digeſtione & euacuatione, & tunc oportet ut obſeruetur magis timoroſa una duarũ

Conſiliũ medicinale q̃d ſit ignorare uidetur Puteanus.

Propria curatio ſcitu neceſſaria.

Non ſemper incipienda eſt curatio à cauſa.

u. rerum

A febris indicatione curā incipere nō eſt cōtra methodum.

Curatio coacta & canonica.

Perperā colligit Puteanus Horeum præpoſtero ordine uſum

Differt ab affectu curā ordiri et ab affectu primam indicationē ſumere.

Prima indicatio ab affectu ſemper deſumenda, & aliquādo eſt ultima in auxiliorū exhibendorum ordine.

Frigida & humida indicationē quæ cauſæ prouidet nō ſemper euertūt.

rerum. Ex quibus uerbis patet Puteanum circūuentum fuiſſe, putantem quòd à febris indicatione curam auſpicari contra methodum ſit. & hinc licet decerpere, quòd curationum quædam eſt canonica, quæ citra rem contraindicantem fieri commode poteſt, & quædam huic contraria, quæ coacta dicitur: & hæc in morbo fiente febrim ipſam primò oppugnat. Item ſi demus quòd ab indicatione cauſæ & non febris incipienda curatio fuerit, propterea non ſequitur quod inde Puteanus perperam elicit, Horeum præpoſtero ordine uſum fuiſſe. ſiquidē Horeus ab affectu primam indicationem ſumpſiſſe, non item ab affectu curationē incœpiſſe faſſus eſt. differt autem (mea quidem ſententia) ab affectu curam ordiri, & ab affectu primam indicationem accipere. prima nanque indicatio ab affectu ſemper deſumenda eſt, ſecundo Therapeutices methodi, quæ tamē non ſemper prima eſt in auxiliorū exhibēdorū ordine, ſed interdum ultima, ut declarat Galenus undecimo Therapeuticæ metho. Conſtat itaq; quòd ab omnibus rebus ſufficientes Horeus indicationes cæpit, quare in medendo hallucinari non potuit, quod etiam euentus nimirum commonſtrauit. febriens enim (quo de ſit ſermo) decimoquarto die à ſudore critico copioſo, febri defunctus eſt, ac ſanus etiamnum uiuit. Nec frigida & humida indicationem, quæ cauſæ prouidet, ſemper euertunt, ueluti aſſeuerat Puteanus. nam Galenus exquiſitam tertianam quæ ex flaua bile commota inualeſcit, quanto magis fieri poteſt. Refrigerare, inquit, oportet ac humectare, primo ad Glauconem. quippe illa febri (quæ calida & ſicca paſſio eſt, primo aphoriſm. comment. decimoſexto) & cauſæ efficienti, id eſt, flauæ bili putreſcenti (quæ calidus & ſiccus

& ſiccus humor eſt, ſecundo de tẽperamentis) contrariantur. Atque adeò putridæ febris cauſam digerere frigida & humida autor eſt Auicẽna, phen quarti prima, ita ſcribens: Humoris cholerici digeſtio eſt, ut cõuerſus à ſubtilitate fiat craſſus, & aqua frigida facit illud, & eſt bona. hanc etiam cauſo laboranti ad ſatietatem uſque bibendam concedunt, poſt Galenum Alexander Trallianus quarto praxeos, & Aegineta in ſecundo. Ex quo perſpicuum fit, quòd frigida & humida, non ſolùm illa quæ ex accidenti, utpote cholagoga, ſed etiam quæ primò et per ſe talia ſunt, febribus quæ ex putri humore fiunt, exquiſita tertiana & cauſone detentis ſunt ſaluberrima, cum febris tum cauſæ ipſius ratione, non diſpariliter in tertianis nothis (quarum magnam eſſe latitudinem non intelligere ſe prodit Puteanus) non ſemper frigida & humida efficiunt. earum enim quædam legitimæ febri aſsimiles propinquæq; ſunt, ut quæ à bile non adeo impura oriuntur (ab efficienti nanq; cauſarum ſimilitudine ſimiles euentus fieri ſolent) quædam uerò à legitima admodum diſsimiles ac remotæ: quippe quam primo ad Glauconem deſcribit Galenus, ſpuria eſt interpellata hyemalis atque diuturna. contrà, quæ ab Horeo ſanata fuit, legitimæ tertianæ affinis erat, peneq; ſimilis, uidelicet continua, æſtiua & acuta. adde quòd & iuuenẽ & bilioſum eumq; laborioſum male habebat, denique omnia eius indicia exquiſitæ tertianæ nothis conuenire uidebãtur, præter eam quæ anteceſſerat, uictus rationem, ob quam ſolam pura tertiana dici ſcitè non poterat: ut ex Galeno colligitur primo ad Glauconem. proinde hæc notha ab altera diſsimili curatione deſtruenda fuit: quãtum enim natura differunt, tantum rationabile eſt,

Auicenna

Aqua frigida

Frigida & humida ex accidẽti & primo & p ſe febribus putridis conferunt.

Notharum tertianarũ latitudinem magnã eſſe ignorat Puteanus.

Exquiſitæ febri omnia indicia ineſſe oportet.

curam permutare, iuxta methodum quam Auicenna phen prima quarti, his uerbis edocet: Conſideretur propinquitas puræ tertianæ, ad non puram. quòd ſi fuerit ualde propinqua, tunc diuerſifica inter eas diuerſitate pauca.

Canon in cura febris nothæ obſeruādus.

Iam uerò quia neſcit Puteanus frigidis & humidis quibuſdam medicamentis uti endiuiæ Gentilis & cichorij Saliceti ſyrupis, abſtergendi & aperiendi facultatem ineſſe, ineptè contendit, frigida & humida præfatæ febris obſtructionem & putredinem fouere. nam ſi de uniuerſis frigidis & humidis intelligat, eſt, ut ſatis liquet, falſiſsimum, quod Galenus etiam monſtrat quinto de ſimplicium medicamētorum facultatibus, arnagloſsi decoctum ad iocinoris & renum obſtructiones utile eſſe innuens. Huc etiam pertinet, quod Auicenna phen primi quarta, Quicunque, ait, exuperantē calorem aperientibus remedijs curare uelit, ab immodica infrigidatione caueat, ne in lapideſcentem facultatem & oppilationē addat: ab immoderata quoque calefactione abſtinere debet, quoniam malam temperaturam calidam augeret, ſed ſenſim procedere debet: & primo quæ detergunt, ad id quod infrigidari debet, ſi aqua ordei, & aqua endiuiæ ſufficiat, bene eſt: ſed ſi id non ſatis ſit, tunc mediocria adminiſtranda ſunt. Frigida quoq; quoniam alienæ caliditati quæ putredinis cauſa exiſtit, (eſt enim putrefactio in uniuſcuiuſque humido propriæ & ſecundum naturā caliditatis conſumptio, ab extranea caliditate facta, quarto meteororum) aduerſantur, & contraria inuicem ſeſe corrumpunt, & non fouent: ut Ariſtoteles Auerroisq; docent primo de generatione & corruptione (nec fieri poteſt, ut inquit Galenus undecimo Therapeuticæ methodi, ut eorū quæ præter

Quibuſdam frigidis abſtergendi et aperiēdi uirtus ineſt.

Nō oīa frigida & humida putredinem fouent.

Frigida putredinis cauſæ cōtrariātur.

Putrefactio quid.

Cōtraria nō ſe fouent ſed corrumpūt.

præter naturam ſunt quicquam per aliam ullam remediorum ſpeciem, quàm per contraria curentur) putredinem fientem inhibere poterunt. Hinc obiter pateſcit, quam ob rem Borea flante omnia imputria durãt: ut retulit Galenus primo de temperamentis.

Borea flante omnia imputria durant.

Verùm tamen id putredinis quod in generatione adhuc eſt, diuerſa aliquando exigere non negamus. etenim quatenus ab impedita perſpiratione efficitur, tum indicat ut quod retentum eſt uacuetur, & quod retinendum eſt prohibeatur. ſanè prohibebitur his præſidijs quæ obſtructioni medentur, cuius rurſum ipſius quod iam occupauit ſanandum eſt, quod futurum eſt propulſandum. at curabitur quidem quod obſtructionis iam factum eſt, per ea quæ obſtructa liberant, propulſabitur quod futurum eſt, ſi affluxum obſtruentium ſuccorum compeſcas, ut diſſerit Galenus undecimo Therapeuticæ methodi.

Putredinis quæ adhuc fit curatio.

Cæterùm aliquot Puteani hallucinationes præſenti reſponſione detegemus. Prima eſt, quia male agere dicit in coronide ſue obiectionis illos, qui ſyrupum de endiuia aut cichorea dant febricitanti febre putrida. ſed hæc exploſa ex prædictis iam eſt. quippe id quo flaua extinguitur bilis, obſtructioniq; ſuccurritur putrida febre, hoc eſt, tertiana affectis tutò dari poteſt. Secunda eſt, quia poſt ablatam à febre putrida omnem putrefactionem non uidet (ut fatetur) quæ febris relinquatur frigidis & humidis curanda. ſiquidem Puteanum latet quòd putridã febrem magna ex parte ſequitur ephemera: ut in canonica dilucidat Sauonarola, quæ morbus factus eſt, teſte Galeno octauo Therapeutices methodi. Item quod ſubinde à materiæ uacuatione uitioſa temperatura adhuc remanet, ut

Hallucinationes puteani ex præſenti eius obiectione collectæ.

Prima hallucinatio.

Secunda hallucinatio.

Poſt terminationẽ putridæ ut plurimum relinquitur ephe-

net, ut primi phen quarta, exarat Auicēna, quæ ſola alteratione, id eſt, frigidis & humidis ſanatur, tertio artis paruæ. Tertia eſt, quia non dico mentitur, ſed certe fingit Horeum methodicum egiſſe medicum & non rationalem. nam in confeſſo eſt, Horeum in præcedenti diſſertatione ab efficienti cauſa indicationes accepiſſe, contra methodicorum ritum, qui morborum cauſas nihil indicare, eaſq́; ad morborum curationem eſſe inutiles cenſent, ut ſcribit Galenus libro de ſectis. & de Theriaca ad Piſonem. ſimiliter ſycophantiſat Puteanus, dum ait, Horeum non intelligere quo ordine cura mixta ſit moderanda, & in quibus competat morbis. quandoquidem Horeus doctè enarrauit ueram curationem morbo iam facto; præcautionem efficienti cauſæ, mixtā uerò ex his curam morbo fienti, hoc eſt, cùm morbo tum morbificæ cauſi aduerſari.

mera uel uitioſa temperatura calida & ſicca.

Tertia hallucinatio.

Methodici à cauſis non ſumūt indicationes.

Vera cura morbo facto præcautio cauſæ mixta cura morbo fienti conuenit.

Quarto grauiter errat Puteanus, medicinæ theoremata haud ſtata eſſe referēs, quæ ſtata firmaq́; eſſe neceſſariò oportet, quādo ſolùm incorruptibiliū & neceſſariorū omnis ſcientia exiſtit, prout Ariſtoteli uiſum eſt, primo Poſt. Medicina autem ſcientia eſt ſalubrium, inſalubrium & neutrorum, autore Galeno primo artis paruæ, ergo theorematum & concluſionum incorruptibilium & neceſſariorum. Itaque quod omnis febris frigidis & humidis curanda ſit, non falſum, ut credit Puteanus, ſed ueriſsimum eſt theorema. nam prout facti rationem obtinet febris, hoc eſt morbus eſt non pathema, & calor naturalis in flagrantiam commutatus, ut definitur primo Aphoriſmorum commento decimoſexto (quæ tertio artis par. definitio à Truſiano de morbo facto interpretatur) frigidis & humidis ſananda eſt, iuxta primum curatricis me-

Quarta hallucinatio.

Medicinæ theoremata ſunt ſtata.

Quinta hallucinatio.

Omnis febris prout morbus eſt frigidis & humidis ſananda.

Febris definitio.

dicinæ

dicinæ axioma, contrariorum contraria ſunt remedia.

Quid, quod Galeni locum à ſe productũ non intellexiſſe uidetur Puteanus? etenim Galenus methodicis conuiciatur, non quod illi putarint artis ſtata eſſe theoremata, ſed propter propriam quam negligũt curationem. quod ut lucidius euadat Galeni uerba frugis utique plena, quibus in methodicos tertio Therapeutices methodi inuehitur, annectam. In eiuſmodi uerò ſermonis noſtri decurſu perſpicuum plane fit, tum ægri naturam eſſe conſiderandam, tum cuiuſque hominis propriam eſſe curationem, tum ſupra hæc illud tertium, nempe quoniam cuiuſque naturæ proprietas ineffabilis eſt, nec exacta ſcientia comprehenſibilis. Hunc eſſe optimum cuiuſque particularis ægritudinis medicum, qui iam methodum comparauit, ex qua & dignoſcere naturas poßit, & coniectura conſequi quæ ſint cuiuſq; propria remedia. Porrò exiſtimare communem quandam eſſe omnium hominum curationem, ſicut ſtupidißimi Methodici putant, extremæ eſt dementiæ. atqui illi ob id ſtata eſſe putant omnia medicinæ artis theoremata: hoc eſt, eiuſmodi eſſe, quæ ſcientes homines faciãt, firmamq; ſui notitiam præſtent, ipſorumq; artem notitiam quãdam eſſe communitatum non proprietatũ, tanquam communem & generalem hominem, non particulares, curarent. ergo ſicuti in alijs omnibus ſtatim inter initia ſunt lapſi: ſic in hoc quoque. ſiquidem curatur non homo communis & generalis, ſed noſtrum quiſq;, alius uidelicet aliud temperamentum naturamq; obtinens. hi uerò unam eſſe omnium hominũ curationem exiſtimant. Ego contrà, ſi cuiuſque priuatim naturam explorare ad unguem ſcirem, utique qualem fuiſſe Aeſculapium mente concipio

Sexta hallucinatio.

concipio talem me eſſe putarem, ſed quando id fieri non poteſt, certe ut quoad homini licet, quàm proxime accedam, tum ipſe me exercere decreui, tum alios, ut idem faciant adhortor. Inſuper tota (ut aiunt) uia aberrat Puteanus, omnem febrim putridam compoſitam eſſe innuens: nam Galenus ſimplicium febriũ ex humoribus putridis conſiſtentium ſex differentias numerat, ſecundo de differentijs febriũ, bilioſam, melancholicam ac pituitoſam: quarũ quælibet in intermittentem & continuam ſecatur. Itaque quòd tertiana notha ſimplex febris ſit, ſic probari poteſt: Omnis febris bilioſa, quæ alteri nõ complicatur, ſimplex febris eſt, ut colligitur libro de formulis, & præcitato loco. Tertiana autem non legitima bilioſa febris eſt, ut nulli nõ notũ, nec quatenus ſpuria alteri copulatur febri. Vnde ſimpliciter tertiana nominatur, ſecundo de differentijs febrium, ergo tertiana notha ſimplex febris eſt, & non compoſita, ut autumat Puteanus. Præterea ab uno ſimplici humore uno in loco putreſcente, una ſimplex febris efficitur, ut manifeſtum eſt, de putridis febribus omnibus quæ ſimplices dicuntur, ſecundo de differentijs febrium: cholera autem notha quæ putreſcens ſpuriam tertianam facit, uerbi gratia, pallida aut uitellina, non eſt duo humores, id eſt, flaua bilis & pituita confuſi, ſed unus humor per unum temperamentum, & unam ſubſtantialem formã, ut ſentiunt Thadæus, Dinus, Gentilis, Marſilius, Bentius & Herculanus Galeatiusq;, ac ferme omnes phen primæ quarti enarratores (alioqui nullus humor ſimplex eſſet, quum omnes ſibi inuicem implectantur, neque facilè aliquis eorum ſyncerus inuenitur, teſte Galeno libro de morborum differ.) quæ itaque uno in loco putreſcat, oportet. etenim

Septima hallucinatio.

Nõ omnis febris putrida eſt cõpoſita

Putridarum ſimplicium ſex differentiæ.

Tertiana notha ſimplex febris eſſe poteſt.

Cholera notha unus humor eſt.

etenim ſi duo eſſent humores, quorum unus in uenis, alter extra uenas putreſceret, hæmitriteum produceret, ut claret ex ſecundo de differentijs febrium. Idcirco à *cholera notha uno in loco putreſcente, ſimplex febris generatur, eoq́; tertiana ſpuria ſimplex febris eſt.*

SED HAEC PVTEANI NON *indocti hominis inſtantiæ ſatisfacere mihi uidentur, nihilominus ad eum fortaßis pro ſe reſpondebit* Horeus. *parturit enim et ipſe in duos de febrium differentijs* Galeni *libros quædam gloſſemata.* De *reliquis uerò paradoxis quæ reſtant uniuerſis, quid ſentiam, ſi genuinum frangat in iſtis duobus libellis* Fuchſius, *tertius* Dialexeon *liber locupletius propalabit.*

x

De his quæ ad ratio NALIS MEDICI DISCI-plinam, munus, laudes, conſilia & præmia pertinent, Libellus.

EXIMIO REI MEDICAE
profeſſori Hieronymo Montuo, Mirabelli domino, Michaël Aibar
S. D.

ABSQVE Proœmijs, quod aiunt, & affectibus. Conſuetudo diſſerendi de Mathematicis cùm mihi tecũ iampridem incidiſſet, ac perinde non raro te domum adirem, commodum abſente te lucubrationum tuarum ſcrinium reſeratum offendi. Euolui ſedulò codices omnes ac membranas, qui te unicum noſtri æui medicorum ſpecimen, Hieronyme candidiſsime, aliquid autore te dignum commentari ſuſpicarer. Inter uarios ac ingentes ſcripturarum aceruos, quaſi Alcibiadis Silenos, de Medicis ἐξαλόγους, farraginem ex uarijs chartarum fragmentis collegi: quos cùm ad iuſtam coronidem reduci poſſe ſperarem, ut oblata occaſione eos ſurriperem cœpi cogitare. uidebam enim abs te planè negligi. Non ſecus acciderat in reuoluendo compendio quodam de humani corporis elemẽtorum, ſiue humorum differentijs & indicijs, quod penè erat cœno puluere ac rubigine obliteratum. Quod totum ut perlegi, Deum immortalem, quàm in citandis autoribus copioſum, uerbis parcum, ſententijs refertum: nec minus laudandum, quòd laconiſmum potius, quàm battologiam æmuleris. Taceo dialecticum in dicendo artificium, quo ueluti penicillo humorum omnium differentias depingis, ac imaginem uiuam ob oculos ponis. In ἐξαλόγοις inſuper nehilum quidem omiſſum cernebam, quod ad Dogmatici Medici diſciplinam, munus, laudes, conſilia, & præmia ſpectare poßit. Vnde maius conieci crimen, ſi lucernam hanc ardentem ſub menſa tua delitescere permitterem, quàm ſi te inuito ut cunctis luceat curarem. Si de furto conquereris, deliqui, fateor. Plagiarium licet appelles, ſi in re honeſtißima plagium poßit committi. Cæte-

rùm nec

rùm nec furtum eſt nec plagiũ, ſi re tua quis utatur in rem tuam,
ad eum item uſum, ad quem te etiam conſultiſsimum uti oportuit.
Conſului præterea omnibus ſacratiſsimæ huius ſcientiæ
myſtis, priuatum item commodum ſectatus ſum, cùm
me in tuorum diſcipulorum numerum repoſitum
iri ſperem, qui & ipſe ſum ſymmyſta. Tuum
itaq; opus ad te mitto, & te inuito prodit
fœtura tua. Hoc mihi unum, quæ tua eſt
humanitas, ſcio condonabis, ac in-
tempeſtiuam hanc meam ſo-
lertiam boni æquiq;
conſules.
Vale.

M. D. XXXIIII.

Menſe Nouembri.

De tribus medicorũ

SECTIS,

SERMO PRIMVS.

Medici nomen.

MEDICVS *à Medicina (quæ propter languentes inuenta eſt, & nomen inde habet, ut* Hippo*crati placet, libro de Priſca medicina) denominatur.* Nam *artifex ab arte quam profitetur, deflexũ ſortitur nomen, teſte* Galeno *ſecundo de tuenda ſanitate.* Vnde *qui male ſui corporis curam habet, medicus non uidetur, quia cæteros non bene curaturus eſt, ut* Hippocrates *ait libro de medici officio, & à cauillantibus uerſus ille obijcitur:* Ἀλλῶν ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων, *id eſt, Alijs medens, at ipſe ulceribus ſcatens. cuius meminit* Galenus *quinto de tuenda ſanitate.* Porrò *medendi tres eſſe uias,* Methodicã *ſcilicet,* Empiricã & Rationalem, Auſonius *hoc ſubnotauit hemiſtichio & ſenario:*

Medicus ſui curã corporis habere debet.

Viæ medendi tres.

> *Triplex quoque forma medendi*
>
> *Quæ logos & methodos cuique experientia nomen.*

Celſus etiam in primi libri prologo, atque Galenus *libro de ſectis medicorum, tres hæreſes deſcribunt, quarum una* Me*thodicorum, à methodo dicti, quoniam rationem medendi per compendia tradebant, ponentes communitates quaſdam laxa-*

Medicorum ſectæ.

Methodici.

ta uidelicet eſſe adſtringenda, adſtricta uerò laxanda, morboſq; in fluore & retentione ſpectandos eſſe, quibus tãquam communẽ et generalẽ hominẽ, & non particulares, curarent. Hi anatomices cognitionẽ in uniuerſum reſpuebãt, nec locum affectũ ad curationis indicationẽ prodeſſe, neq; cauſam, neq; ætatem, neque tempus, neque regionem, nec uirium ægrotãtis conſiderationem neceſſariam exiſtimabant. Hos libris therapeuticæ methodi paßim inſectatur Galenus. Altera eorũ eſt qui Empirici ab experientia uocãtur, nam per recordationem eorum quæ ſæpius & identidem profecta ſunt (hanc experientiam nominarunt, eiuſq; expoſitionem hiſtoriam) omnia ad curam neceſſaria inueniri contendebãt, nec arte putãt ulla'ue ratione experiẽtiam niti: imò unius fortunæ fauorem ad ea quæ quærunt inuenienda requirere. Hos damnat Galenus libris de ſectis, introductorij, & therapeutices. Tertia Dogmaticorum, qui rationi & experientiæ cum ratione conſentiente ſe accommodantes, rationales appellati, res naturales & præter naturam omnes, atque illas etiam quæ neceſſariò corpus noſtrum alterant, contemplantur: & inde curatrices indicationes deſumunt, quibus medendi uiam & rationem perficiunt. Hoſce allegatis locis laudat & ſequitur Galenus, in omni ſectarum ſcientia nemini poſthabendus, ut de ſe teſtatur ſecundo de locis affectis.

Empirici.

Dogmatici.

De diſciplinis quæ DOGMATICIS NECESSITATI SVNT, SERMO II.

Medicus omnes philoſophiæ partes habet.
Philoſophiæ diuiſio

MEDICVS OPTIMVS OMNES philoſophiæ partes habet, tum eam quæ rationalis dicitur, tum eam quæ naturalis, tum eã quæ moralis, ut Galenus adſtruit, libro cui titulũ fecit, quod optimus medicus idẽ ſit & philoſophus: ſic enim tripartita philoſophia ſecundũ Stoicos eſt, ut effert Plutarchus libro primo de philoſophorũ placi.

Rationalis philoſophiæ partes.
Grãmatica medico neceſſaria.

Rationalis ſcinditur in partes, grammaticam, rhetoricam & logicam, conſtituentes triuium. igitur grãmatica (ſaltem quæ eſt methodicæ) medico neceſsitati eſt, ut congrue loqui, & ſibi ſcribere, antiquorumq; monumẽta intelligere, ac exponere poſsit. ſiquidem rectè loquendi ſcribendiq; diſciplina eſt, ſexto Topicorum.

Hiſtoriarũ cognitio medico utilis.
Hiſtoriæ diuiſio.

Itaq; hiſtoriarum cognitio medicam rem iuuat, ut inquit Hippocrates in epiſt. non illarum modò quæ de natura ſunt, ut animaliũ & plantarum, aut de locis, ut geographicæ, ſed earum etiam quæ de temporibus ut chronicæ (unde Thucididem ſæpiculè citat Galenus) & quæ de rebus geſtis ſunt, quales Hippocratis narrationes libris epidimiarum, & hiſtoriæ Galeni commentarijs paſsim inſperſæ, quæ uel ipſo teſte quarto de locis affectis, & libro de ſectis, perquàm conducibiles ſunt.

Adde

Adde (nam finitima Grammaticæ Poëtica quoque eſt) quòd philoſophus conſequenterq; medicus natura φιλόμυθός eſt, tum quòd fabulæ admiratione conſtant, & admiratio philoſophos peperit, primo Metaphyſicæ, tum quòd fabulæ ad naturas rerum & mores hominum interpretantur, & perinde philoſophiæ dogmata efferunt, eóq; poëticam à philoſophia diſferre tempore duntaxat & forma quodam loco prodit Maximus Tyro Platonicus, atque ob id ſuas crebro ſententias & placita Homeri, Heſiodi aliorumq; Poetarum carminibus corroborant philoſophi Plato, Ariſto. Theophraſtus, Galenus, Aphrodiſeus, & qui ſunt huius cohortis. Prætereo, quòd non incelebres plerique de re medica uerſibus conſcripſerunt. etenim pharmacorum uirtutes metris tranſcriptæ facilius memoria tenentur, ut ait Galenus ſecundo de compoſitione medicamentorum κτ̄ γένη, & primo de antidotis. proin herbarum uires Macer, ſerpentes Nicander, theriaces confectionem Andromachus, pharmacorum compoſitiones Damocrates & Rufus Epheſius carminibus complexus eſt, quæ Galeno probantur libro de theriaca ad Piſonem, & ſeptimo de compoſitione medicamentorum κτ̄ γένη, & primo κατὰ τόπους. atq; adeò Samonicus particularium morborum curationes metris illuſtrauit.

Poëtica medico commoda.

Poëtica grãmaticæ finitima.

Philoſophus natura philomytos.

Poëtica quomodo à philoſophia differat.

Poëtæ medici.

Similiter dialectica medico opus eſt, ut paßim inculcant autores. Galenus primo Therapeutices libro de ſectis primo, de differentijs febrium, & frequenter alibi, Iſac primo pantechnes, & Haliabbas primo Theorices, Auerrois primo collectorij, ſcilicet, ut præter alia doctrinales modos & doctrinarum ordines haud neſciat, ueráq; à falſis atque uerißimilia ab

Logica medico neceſſaria.

Doctrinales modi.

Doctrinarũ ordines.

Veriſimilia à ueris diſcernit dialectica.

lia ab his quæ uera ſunt diſcernere queat.

Logices utilitas.

Huc pertinet, quòd dialectica ad omnium methodorum principia uiam habet, ut Ariſtoteles ſcribit primo topicorum, & quarto Metaphyſic. & quòd omnes illiterati quodammodo utuntur dialectica, primo Elenchorum. ex quo colligitur, quòd quædam dialectica naturalis eſt. hac uſus eſt Hippocrates, quoniam Democriti tempore (qui Hippocratis coæuus fuit & familiaris, ut liquet ex libro epiſtolarum Hippocratis) nondum erat uis dialectica, decimotertio Metaphyſic. eoq; forſan libro de locis in homi. Hippocrates ſic ſcriptum reliquit: Medicam artem propterea nouiſſe non eſt, quia ſophiſma certum ullum in ea dare non eſt.

Logica duplex.

Hippocratē non nouiſſe ueram dialecticam.

Locus Hippocratis explicatus.

A dialectica, ut literati aſſerunt, parum differt rhetorice. hæc enim inuentis à dialectica ſolam elocutionem addit, huius etiam gnarus medicus ſit oportet, teſtibus Sorano in Iſago. & Iſidoro quarto Etymologiarum, uti dicendi peritia ſalubria perſuadere, & ab noxijs dehortari rebus ſciat. At generis cauſarum deliberatiui eſt perſuadere & dehortari, primo rhetorices, & quemadmodum ægrotantibus benefacere ſuauiloquentia putatur, ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι, ut quidam ait: ſic illos conſentaneum eſt, nimia uerboſitate (qua quidam obſtrepere ſolent) offendi, ut hoc etiam ſenario ſubnotauit Meander:

Rhetorica medico utilis.

Verboſus medicus taxatur.

ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος, id eſt, Medicus loquax alter languenti morbus eſt.

Phyſicæ diuiſio.

Naturalis Philoſophia tria complectitur ſpeculatiua genera, mathematicum infimum, ut quod de accidente ſit, poſt quod aſcendendo phyſicum, ut quod de ſubſtantia ſit, ſed mobili

Tria ſpeculatiua genera.

bili, poſt quod ſurſum uergendo metaphyſicum, ut quod de ſubſtantia ſit, ſed immobili & diuina.

Iam mathematicum genus quantitatem ſpeculatur abſtractam ſcilicet, proinde quadruuium complectitur, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, & Aſtronomiā. quantitas enim in multitudinem & magnitudinem ſecatur, multitudo alia per ſe, ut tria, quatuor, alia ad alia refertur ut duplum & dimidiū: magnitudo aut immobilis eſt, ut triangulus, linea, aut mobilis, ut octaua ſphæra. Multitudinem quæ per ſe eſt, Arithmetica contemplatur, quæ ad aliam Muſica, magnitudinem immobilem Geometria, mobilem uerò Aſtronomia, ut Boëtius primo Arithmetic. notatum reliquit. Arithmetica & Geometria utraque ad apodices in medicina conducit, ut Galenus innuit libro de libris proprijs, & libro de conſtitut. artis medicinæ, utraque medicam rem iuuat, ut Hippocrati in epiſtolis, & Sorano in Iſagogis dictum eſt. itaque per illam decretorij dies & ſcalares anni inueniuntur: per hanc uerò Coſmographia, Geographia, atque Topographia, id eſt, mundi, terræ lociq; deſcriptio, conſequenterq; regionis cuiuſque qualitas intelligitur & partium corporis figuræ ratio in libris medicorum anatomicis, atque uulnerum ulcerumq; prognoſtica, in chirurgicis explanantur. unde primo Poſt. Ariſtoteles inquit, quòd uulnera circularia tardius ſanantur, medici eſt ſcire quia, Geometræ autem propter quid.

Mathematicæ diuiſio.

Arithmetica, & Geometria medico utiles.

Coſmographia.

Geographia

Topographia.

Muſica item commoda medico eſt, ut colligitur octauo Politicorum, non naturalis ſolùm, id eſt, humana mundanaq;, ſed artificialis etiam cuius præcipuæ partes ſunt, harmonica, rhythmica, metrica. de harmonica liquet, quòd animi morbos

Muſica medico utilis.

Muſicæ diuiſio.

Muſica naturalis.

Muſica artificialis.

Muſica harmonica pathemata ſanat.

(quos uocant pathemata) ſanat, ut refert Cenſorinus libro de natali die. ad inſaniam ſymphoniæ & cymbala proficiunt, ut ait Celſus in tertio. huc referunt Saulis hiſtoriam ex tertio regum. Homerus etiam Achillem facit digerentem muſica iram in Agamemnonem concitatam: quam muſicam à ſapientiſsimo Chirone medicinæ doctore (ut Plutarchus ſcribit libro de Muſica) didicerat.

Homerus.

Hunc inuenerunt mulcentem pectora dulci, formoſáq; lyra.

Atqui Pathemata corpus à naturali ſtatu auertunt, autore Galeno tertio artis paruæ, & libro quod animi mores corpo. temp. ſequantur. Rhythmicæ ac metricæ haud inſcius medicus eſſe debet, quòd in utriuſque numeros pulſum digeſſerunt ueteres medici, quos inſequutus eſt Auicenna ſecunda primi cano. Galenus quoq; poſt Herophilum de pulſu Rhythmo accurate egit primo de differentijs pulſuum, tertio de dignoſcendis pulſibus, & ſecundo & tertio de cauſis pulſuum.

Muſica rhythmica in pulſibus agnoſcitur.

Aſtronomia medico ualdè cõmoda.

Aſtronomia autem non minimum ad medicinam confert, ſed ualde plurimũ, ut Hippocrates affirmat libro de cœli qualita. & Soranus in iſagogis: nam criſimorum dierum cauſas oſtendit, ut patet tertio de criticis, & prænoſcere ſalubres cauſas inſalubresq́; docet, utpotè temporum mutationes. cum his enim mutantur & hominum corpora, ut Hippocrati placet loco citato, Galenoq́; commentario primo primi epidimiarum, & libro de natura humana. quibus ſubſcribens Philaretus libro pulſu. Continẽs, ait, contentũ mutat in ſuam craſim. Itaq́; ſecundum planetarum aſpectus & lunæ curſum idoneos ad ſanguinis miſsionem humorumq́; purgationem dies eligere medicus debet, ſi Haliabbati credimus primo theorices, &

Electionem dierũ aſtronomia docet

Aetio

Aetio ſermone tertio. Aſtronomiam igitur calleat medicus oportet, ac conſequenter Arithmeticam, Geometriam, Muſicamq́;, quæ treis neceſſariò præcedunt, quandoquidem iſtis ſublatis prioribus, ſimul & Aſtronomia, quæ poſterior eſt, tollitur, ut tradit Boëtius primo arithmetic.

Quadruuiū medico neceſſarium.

Phyſicum genus medicinæ pars eſt contemplatrix, ut inſinuat Soranus in iſagog. & Auerrois primo collectorij, uel à medicina ſeparatū eſt, ut credit Celſus in primo. utcunq; illud medico neceſſarium eſſe declarat Hippocrates libro de natura humana, & Galenus libro de elementis, de naturalibus potentijs primo, & tertio therapeu, methodi, & ſexcētis locis, ut interim ſileam Haliabbatis & Zoaris teſtimonia. Itaque ubi naturales finiunt, ordiuntur medici, & ex his quæ de natura ſunt, ſua ſumit principia medicina, ut dicit Ariſtoteles libro de ſen. & ſen. De natura autem ſunt, quæ communiter inſunt rebus, & ea quæ uidentur ineſſe nec inſunt, quando circa duo hæc tantùm uerſatur Phyſica diſciplina. Ineſſe uidentur, nec inſunt inane & infinitum. Inſunt uerò uel principia, ut cauſæ & concauſæ: uel quæ principijs adnexa, ut motus, locus, tempus & continuum: uel quæ de principijs exorta, ut ſimplicia & compoſita, ſimplicia uel ſempiterna, ut cœlum, uel corruptibilia ut elementa. Compoſita, uel imperfecta, quæ gignuntur in ſublimi, uel perfecta: quæ uel inanimata, ut metalla, uel animata: quæ aut uegetabilia, ut plãtæ, quæ aut herbæ, aut frutices, aut arbores, aut ſenſibilia, ut animalia: quæ aut rationalia, ut homo & nymphæ, ut antiquitas credebat, hominibus diuiniores, teſte in dialectica TrapeZontio, et Georgio Valla: uel ratione carentia ut brutum, aut horum media,

Phyſica medico neceſſaria.

Phyſica medicinæ pars

Phyſicæ diuiſio.

Nymphæ hominibus diuiniores.

Zoophyta.

quæ Græci ζωόφυτα uocant, ut ſcienter in Panepiſtomene diuidit Politianus, quæ omnia ex Ioannis Grammatici commẽtarijs ſuper phyſicorum libros Ariſtotelis, penè ad uerbũ uerſa ac deſumpta ſunt.

Metaphyſica medico neceſſaria.

Sapientiæ definitio.

Sapientiæ nomen æquiuocum.

Metaphyſicum quoque genus obtinet medicus, quoniam medicina cum ſapientia, & ſapientia cum medicina mixta eſt, medicusq́ uir ſapiens eſt, Hippocrati ſi credimus libro de probitate. eſt autem ſapiẽtia intellectus ſimul & ſcientia, eorũ quæ honorabiliſsima ſunt in natura, primo metaphy. id autem eſt humanarum diuinarumq́ rerum ſcientia, primo Therapeuticæ methodi. & ſapiens eſt qui hanc poſsidet, primo metaphyſicæ. Nec me latet, tamen quòd in arte ſua quenq́ perfectum etiam ſapientem uocat Ariſtoteles ſexto Ethicorum.

Moralis philoſophia medico utilis et neceſſaria.

Moralis philoſophiæ diuiſio.

Poſtremò moralis medico Philoſophia (quæ Galeno artium maxima eſt, primo Therapeutices) ſaltem ea quæ mores expendit ſingulorum aut familiæ, id eſt, ethica, œconomica & monaſtica, non tantum decori utilitatiq́, uerùm neceſsitati etiam eſſe uidetur, ut idem demonſtrat libro quòd optimus medicus idem ſit & Philoſophus, & libro de corrigendis moribus. Hippocrates etiam, morum probitas (inquit) medicum concomitari debet, libro de medic. offic. de præceptis & de probitate, aliasq́ medicinam tantum ſacris ſanctis'ue uiris demonſtrari exarat, ut in libro de lege. Feliciſsimumq́ eſſe iſagogis Sorani proditum eſt, ubi medicus in arte perfectus ſit, & moribus optimus. ſi autem unum de duobus defuerit, melius etiam uidetur eſſe bonum, quàm artificem perfectum mores habentem malos. Modeſti ſiquidem mores, quod in arte deeſt, honeſtate repenſare uidentur: culpa autem

morũ artem perfectam improbare poteſt. Huc pertinet, quòd moralis Philoſophi officio medicum uti decet, nam bonos tueri docereq́; mores dogmaticus debet, primo de tuenda ſanitate, atque malos corrigere. hi enim alterant & à naturali ſtatu corpus auertunt, tertio artis paruæ. Ob id corpus totum ab animo ita pendere in carmide ſentit Plato: ut niſi animus bene ualuerit, corpus bene ualere non poßit, contraq́; ægrotante corpore animus non ſatis ſuo fungi officio poteſt (ut Gale. libro explicatur, quòd animi mores corpor. temp. ſeq.) ſed coægrotat. Animo ſingulæ ſenſorium ægrimoniæ officiunt, quod ſine phantaſmate (quod utique pendet à ſenſu) non intelligit animus, uti refertur apud Ariſtotelem tertio de Anima. unde extat apud Gelliũ decimoſeptimo noctiũ atticarum, quòd Carneades ſcripturus contra Zeno libros ſuperiora corporis elleboro purgauit, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilia uſq́; animi redundaret, & inſtantiã uigoremq́; mentis labefaceret. Ex his ſatis probaſſe remur, orbem illũ doctrinarũ (quàm Græci ἐνκυκλοπαιδείαν uocant) medicis ex uſu eſſe, ac omnium conſortio doctrinarum medicam facultatem eſſe perfectam: quam phyſicæ partis extremam fæcem, ſeptimo Saturnaliorum Macrobius minus erudite prodidit. Siquidem phyſica medicinæ ſubordinata eſt, ut claret ex libro de ſenſu & ſenſato: quo fit ut medici plurimi uerbis fama'ue ſint, opere & re uera perpauci, ut aſſerit Hippocrates libro de lege.

Moralis philoſophi officio utitur medicus.

Qur animo ſingulæ ſenſoriorum ægrimoniæ officiunt.

Carneadis purgatio.

Encyclopedia medico utilis.

Macrobij error.

Phyſica medicinæ ſubordinata.

Opponet aliquis fortaſſe, non poſſe hominem tantum numerum doctrinarum perdiſcere & memoria continere, quandoquidem uita breuis, primo Aphoriſmorum primo.

Prima oppoſitio.

Secunda oppoſitio.

Item Dioſcorides qui omnium perfectiſsime ſcripſit de materia medicamentorum, ut teſtatur Galenus ſexto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſignificata Græcarum uocum non ſatis pernouit, undecimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ob hoc fortaſsis libros Hippocratis deprauauit, ut Galenus dixit commentario libri de natura humana, ergo grammatices rudis fuit.

Tertia oppoſitio.

Item quòd Hippocrates rhetoricen non nouit, argumento eſt, quòd nuſquam elocutione utitur, ſed ſuas ſententias breuibus uerbis deſignat. Ad hæc accedit quòd dialectica cum Rhetorica conuertitur, primo Rhetorices Ariſtotelis. atqui dialecticen neſciuit Hippocrates, ut ſcienter differentia prima Concilia. adnotauit. nam Democriti tempore nondũ erat uis dialectica, decimotertio Metaphyſices.

Dialectica cum rhetorica conuertitur.

Quarta oppoſitio.

Figura ſyllogiſmorum quarta.

Galeni mala argumentatio.

Galenus animæ ſubſtantiam ignorauit.

Galenus fallitur in ſupputatione lunaris motus.

Galenus cõtra Moſen.

Galenus quoque poſt Hippocratẽ maximus medicorum, ridetur à dialecticis, dum figuram ſyllogiſmorum quartam ſtabilit, quæ à prima nullo diſtat diſcrimine. Auerrois etiam ſecundo collectorij, monſtrat improbam conſequentiam eſſe, qua Galenus colligit motum pulmonis eſſe naturalem. Item multis in locis, ut libro de motibus liquid. & libro de ſubſtantia uirtutũ naturali. Galenus fatetur ſe animæ ſubſtantiã ignorare, ſicuti & cauſam animalium conditricem, libro de generatione fœtus. Idẽ in ſupputatione lunaris motus ac medici menſis inſtitutione. labitur tertio de criti. uide Picum Mirandulam tertio contra Aſtrologos. Idem de cilijs, quum Moſen lancinat, ſe prodit de Deo male ſentire, undecimo de uſu partium. unde in logica, phyſica, aſtronomia, atque metaphyſica, erraſſe Galenum conſpicuum eſt, quocirca iſtis artibus peritus

bus peritus non fuit, quod etiam non inficiatur Moſes Aegy-
ptius, uigeſimoquinto Aphoriſmorum, & Auerrois quarto,
ſeptimo & octauo Phyſicorum, & primo cœli, ſecundo &
tertio de anima.

Quinta oppoſitio.

Præterea à morali Philoſophia medici abhorrent, eos
etenim moroſos, ſeu improbis eſſe moribus ac perpetuò à ſe
inuicem diſcordantes, autumat Conciliator differentia pri-
ma, & Zerbus in cautel. illosq; omnium conuiciator ſcientia-
rũ Agrippa, parte pro uirili dedecorat, libro de uanitate ſci-
entiarum.

Diſciplinæ omnes inter ſe habent cõmunicationẽ

Ad primam obiectionem reſpondeo, omnes diſciplinas,
ut Quintilianus & Vitruuius meminit, libro uterque primo,
inter ſe coniunctionem rerum & communicationem habere.
quo fit ut qui teneris ætatibus eruditionibus uarijs inſtruun-
tur, facilime omnes cognoſcant: &, Quo ſemel eſt imbuta
recens ſeruabit odorem Teſta diu. Quinimo aliquos morum

Horatius.

probitate inſignes & in ſingulis doctrinis elegantias ſingula-
res conſequutos in medica facultate excellere, hoc etiam ſecu
lo uidemus, in quorũ albo Symphorianus Campegius Lugdu-
nenſis, Ioannes Scotus Taurinenſis, ~~Iacobusq; Syluius Ambia~~
nas adnumerandi ſunt.

Ad ſecundam & quartam, in omnibus diſciplinis Dioſco-
ridem & Galenum non habuiſſe ſummum laudis principatum,
illosq; utpote homines, aliquando ceſpitaſſe non inficiamur:
nec opus eſt medico ut in omnibus eruditionibus excellentiã
habeat, modò in his imperitus non ſit, tantumq; niti debet,
quò in medicinæ ſapiẽtia ſingulariter excellat, nobilitatemq;
conſequatur.

Populus rhetoricā callet

Tertiam obiectionem partim diluit Socrates in gorgia, populum inquiens rhetoricam callere: & partim Ariſtoteles, qui primo Elench. omnes illiteratos quodammodo uti dialecticā utique refert.

Dialectica illiterati utūtur.

Ad quintam antecedens falſum eſſe, Galenus libro quòd opt. medic. &c. & libro de uitiorum animi remedio. ac libro quod animi mores corp. &c. enucleat. religioq́; noſtra docet, aliquot morum ſanctitate præfulgentes, & in numerum Deorum relatos eſſe, ueluti diuos Lucam euangeliſtam, Coſmam & Damianum, Euſebium Papam, Vrſinum & Panthaleonem martyres, Ioannem Damaſcenum, Iſidorum epiſcopū, ut interim taceam Moſen, Heliſeum & Chriſtum opt. max. eiusq́; diſcipulos omnimodos languores ſanantes medicos fuiſſe. Porrò Agrippa quæ de malis ſcientiarū artificibus apud autores ſcribuntur ſcommata, illa peritis etiam omnibus impingit, ut quod molitur uanas eſſe diſciplinas oſtendere perſuadeat. Itaque medicinam ſugillat uituperatq́; Empiricam & Methodicam, medicisq́; conuiciatur Empiricis & Methodicis, quorum contumelias partim à Plinio uigeſimonono capite primo, partim à Galeno libro de ſectis, & primo Therapeutices methodi, mutuatus eſſe poteſt. neque tamen negabimus inter dogmaticos eſſe pleroſque nequam, ſed horum uitia in bonorum calumniam detorquere nullus debet.

Medici ſanctorum catalogo adſcripti.

Iam quòd contagioſos & ſenſibus omnibus infectos eſſe medicos ab obiectis excrementis contendit Agrippa, haud falſum eſt. idem etiā confitetur Hippocrates, uiſu (inquiens) tactuq́; malorum moleſtia afficitur medicus, & ex alienis calamitatibus proprios colligit dolores, libro de flatibus, cuius

Medici contagioſi.

Mos Hippocratis abominandus.

id fuiſſe

Cælius in lection antiquis:

id fuiſſe fert Cœlius decimoſexto lectionum antiq. in diſcendo ſtudium ut eum non puduerit uel retrimetra guſtare, ut inde omnem humorum naturam perſentiret: unde in uetere Ariſtophanis comœdia ab impuro uidelicet ſeruo Caryone (lingua eſt, ut ille inquit, pars peſſima ſerui) σκοτοφάγος dictus eſt, quam ob rem in omnibus de re medica vctis illum imitari non debemus, niſi miſerrimi eſſe uoluerimus.

Hippocrates nō in oībus imitandus.

Et mea ſententia doctoribus medicis, hoc eſt, humanæ uitæ imperatoribus ægrotantium excrementa ſentire, indecorum, inſalubre & non neceſſarium eſt. Nam quod ridiculos medicos facit, illorum excellentiæ non conuenit, ideoq; indecorum eſt. Purgamenta uerò & cæteras humorum ſuperfluitates perſentire ridiculos medicos efficit, procacemq; fecit Ariſtophanem, atque abominandam pleriſq; heroinis honoratiſq; hominibus medicam facultatem reddit. Item honorabilis ſcientiæ artificem ſordida deteſtandaq; ſentire non decet, ſi cum honeſto obſcœnum pugnat: atqui medicus honorabilis ſcientiæ artifex eſt, quando omnis ſcientia de numero bonorum honorabilium eſt, ut effert Ariſtoteles primo de anima. medicina autem ſcientia exiſtit, primo artis paruæ, & prima primi phen. rurſus inſalubre quod morbos parit, id eſt, tertio artis par. laborantium retrimenta ſentire morbos creat. ſentire enim pati eſt, ſecundo de anima. Ad hæc, quod putridum expirat fallax eſt, primo de differentijs febrium. at ægrotantium ſpurcitiæ magna ex parte omnes putridum expirant (ſi graueolentia putredinis indicium ſit: ut Galenus meminit ſecundo prognoſt. commento uigeſimoſecundo) ita ut non tantum matulas, pelues, conchas, & cætera in quibus excipiuntur

Opinio autoris.

Excrementa ſentire indecorum.

Excrementa ſentire inſalubre.

uaſa, ſed cubicula etiam in quibus ſunt, grauiter olere faciant, inquinent, inficiantq́;. Doctor quidam, ut narrat Iacobus à partibus ſecunda primi, ſputa tabidi cuiuſdam prunis iniecta ſubinde olfaciens phthiſicus effectus eſt, ſicq́; exitiali morbo letalis præſagij notionem quinto aphoriſm. undecimo, proditam, miſer emit. Alterum nouimus inſignem, qui dum conſulit diarrhea uel dyſenteria laborantibus, ſimili profluuio ob contagionem ſemper corripitur.

Hiſtoria.

Modus cognoſcēdi retrimenta honeſtus.

Cæterùm quod de languentium ſtrigmentis ſordibuſ'ue omnibus noſſe oportet, nullo ferè negotio, & perinde acſi eas omnibus ſenſibus ſentirent, ſcire poſſunt medici, miniſtros, modò idonei, ut Galenus præcepit primo aphoriſmo. commēto primo, ægris aßideant, famulenturq́;, interrogantes de ſubſtantiæ craßitie, mediocritate, tenuitate, de quantitatis multitudine, mediocritate, paucitate, eiusq́; magnitudinis mediocritate & paruitate: de qualitatis colore, odore, ſapore: an non de ſenſatis reſpondere poterunt?

Imperatores medici.

Reges medici.

Ad hunc modum priſcos illos ſemideos, Apollinem & Aeſculapium: Imperatores, Alexandrum magnum, & Adrianum cognomento Helium: reges Aegypti Hermetem, & Nechepſon, Bactrianorum Zoroaſtem, Pergami Attalum, Ponti Mithridatem, Arabum Euacem, ac Sabidum, Medorū Saborem Gingemq́;, Bitimiæ Auicennam, Damaſci Meſuem (alios pleroſque omitto) decorum ſeruantes, & citra eorum diſpendium, tutoq́; medicinā exercuiſſe crediderim. Galenus quoq; ſymptomatū olfactus & guſtus differentias ſapiēter ab ægris diſcere, potius quàm olfacere aut guſtare mauult, libro de differentijs ſymptomatum, atque decimo de ſimplicium medicamentorum

Excrementa non eſſe guſtanda nec olfacienda ſuo exemplo Galenus docet.

mentorum facultatibus, eſſe probrum ait grauius homini modeſto, audire κοπροφάγον, quàm fellatorem aut cinedum. atq; inibi execratur abominandas non potiones modò, ſed etiam unctiones, alioqui ad curandos morbos utiles. Verùm ſi quis de his ſecus quàm nos ſentiat, non grauate feram, illiq; per me licebit eſſe Gryllo, & in fœtidiſſimis ſtercoribus, ceu upupa ſolet, nidificare.

De dogmaticorum OFFICIO, SERMO III.

MEDICI MVNVS DVPLEX eſt, alterum quo præſentem tueri ſanitatem, alterum quo abſentem reſtituere ualet, ut libro de ſectis, & ſæpe aliàs Galenus innuit. At curantis officium eſt, ut tutò, ut celeriter, ut iucunde curet, ut libro tertio ex Aſclepiadis ſententia Celſus dixit. Tuto curare debet, id eſt, uti proſit uel non noceat, ut iubet Hippocrates primo epidimiarum, & Galenus in commentario, & primo de compoſitione medicam. ſecundum loca. ſit intentus ut omnino abſolutionem operis conſequatur, uel ſaltem cubantem non lædat, ut uitium non facilè reuertatur, decimoquarto Therapeutices methodi. Celeriter curare debet: quoniam ab omni arte aliena eſt comperendinatio, potiſſimumq;

Medici munus duplex.

Curãtis officium.

Tuto curare.

Celeriter curare.

à medica, in qua comperendinatio procraſtinatioq; uitæ periculum & animæ eſt, teſte in Epiſt. Hippocrate. inde Meſues in praxeos ſuæ prologo: auxiliari, inquit, ne differas, quia ſemel pereunti nulla deinde ſuffragia proſunt. Itaque crudelis eſſe exarat Plinius Valerianus primo medic. lib. lāguores qui poſſunt paucis diebus uel etiam horis repelli, in longum tempus protrahere. Et ægros diu in reditu habere, ex quo apparet quòd producere morbos, uindemia quædam eſt.

Iucunde curare. Iucunde curare debet, hoc eſt, citra dolorem, decimoquarto Therapeutices methodi. nullum nanque ſymptoma perinde affligit laborantes, atque dolor uehemens, quarto de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους. Proximum illud eſt, quod Hippocrates gratificari ægrotis præcipit, in cibis & potibus, modò non ualde lædat medicus, cuius introitus, ſermones, figura, ueſtitus, tonſura, ungues, odores ægro grata ſint, ſexto epidimiarum, quoad fieri licet iucundiſſimum fiat medicamentum, quarto de tuenda ſanitate, ſecus medentes ſæuiores ipſis morbis exiſtunt, ut in herbarum hiſtoria loquitur Apuleus, qui forſan Scribonij præceptor fuit, ut in tranſcurſu iſthuc adnotem ex Scribonio. Cauendum tamen eſſe admonet Galenus ne cubantis delicijs tantum ſubſcribat medicus, ut eius uoluptatem pro meta agendorum habeat, duodecimo Therapeutices methodi. Porrò curare eſt corruptam ſanitatem reficere, ut colligitur ex medicinæ definitione, libro de conſt. artis medic. reſtauratur autem ſalubribus inſtrumentis, quæ tria ſunt, libro de ſectis, introd. & primo de ratio. uict. acu. mor. gloſſa ſexta, diæta ſcilicet, medicamenta & chirurgia. Diætam obſonatricis artis magiſter præparat, medicamenta

Medicus gratificari ægrotis debet.

Apuleus Celſus Scribonij præceptor.

Medicus adulari non debet.

Curare qd.

Inſtrumenta ſalubria.

Dietā obſonatricis artis magiſter præparat.

menta præparationis magiſter, ſeu aromatopola, qui à ſui miniſterij diuerſitate uarias nomenclaturas indeptus eſt. Chirurgiam uerò præparat miniſtratq; chirurgus, uidelicet iuxta doctoris præceptum: nam præfatis artificibus omnibus præeſt, imperatq; medicus, ut ait Plato primo de republica. unde medica inſtrumenta ſolo conſilio præſcribere, & nullo ſe miniſtrorum officio dehoneſtare debet, ut ſecundo theſir, Auenzoari prudenter dictum eſt. Haud enim Mechanicus artifex medicus eſt, ſed quòd liberalium ſcientiarum omnium intelligentiam habeat, liberalis: à propriaq; ſcientia honoratus, ex primo de anima. Accedit huc medici dignitas, & quòd Imperatoribus etiam imperat: ut fert Plinius uigeſimonono naturalis hiſtoriæ. Veteres medici tanquam Duces militibus, & Reges ſubditis, imperare ægris uoluerunt, primo therapeuticæ methodi, quare miniſtrorum munera non obeunt. Coquum medici famulum Galenus uocat, ſecundo de tuenda ſanitate. & medicus inquit, nihil horum ita ut coquus præparare eſt potis. uerùm quicquid præparatum ſit, eius uires probe callet. & Hippocrates ad Crateruã nobilem herbarium tanquam ad miniſtrum ſcribit in libro epiſtolarum. ex quo liquet quòd non olim herbarij ijdem atque medici erant, ut quidam circũuenti putant. pharmacopolarum Theophraſtus nono de hiſtoria plantarum meminit. & Galenus undecimo therapeut. methodi. ſecundo & decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. primo de antidotis. & libro de theriaca ad Piſonem. atque illos materiarios uocat, libro de theriaca ad Pamphilianum. & ubique medicorum mancipia eſſe ſubindicat, primoq; de criticis à medici appellatione indigniſſimos cẽſet, tametſi

Medicamenta præparationis magiſter præparat.

Chirurgiam miniſtrat chirurgus.

Miniſtri obediant medico.

Medicus nullo miniſtrantium officio uti debet.

Coquus medici famulus

Herbarij & aromatopolæ medicorũ miniſtri.

